














BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

C
TA
CV
TVM.
grauil
tinent
summe

IOH
SL



Exc

COMMEN-
TARIOLVS IN SE-
CVNDVM TRACTA-
TVM. I. LIB: ἈΝΑΛΥΤΙΚΩ͂Ν,
grauiſsimi Philoſophi Ariſtotelis, con-
tinentem tres leges, in omni diſciplina
ſummè neceſſarias & vtiles, κατὰ
παντὸς, καθ' αὑτὸ, & καθόλου πρώ-
τον, Publicis prælectionibus
in Academia Hafnien-
ſi propoſitus

à

IOHANNE OLAI
SLANGENDORPIO
THE: D.

Sum Christianj Canutij de Schimerup



~~Christianus Canuti~~

HAFNIÆ,
Excudebat Matthias Vinitor,

ANNO

M. D. LXXXV.

GENERO-

SIS, MAGNIFICIS ET CLARISSIMIS VIRIS, D. NICOLAO KAAS, DOMINO DE TORVP, SERENISSIMI AC PO-TENTISSIMI DANIÆ AC NORVEGIÆ REGIS, FREDERICI SECVNDI CANCEL-LARIO, ET D. ABSA-LONI IVLIO, DOMI-NO DE MEELGA-ARDT, EIDEM REGI A SECRETIS INTI-MO, PRVDENTISSI-MIS AC SAPIENTIS-SIMIS VIRIS, MVSA-RVM ALVMNIS ET MECOENA-TIBVS, OBSEQVII ET DE-BITAE GRATITVDINIS ER-GO HVNC COMMEN-TARIOLVM N.



Acit illa veſtra in prouehendis bonarum literarum ſtudijs, nunquam Laudata ſatis liberalitas, GENEROSI & MAGNIFICI viri, vt agminatim vos eruditi homines ſuſpiciant, colant atq; venerentur, quaſiq; Dijs tutelaribus vobis ſupplicent. Suos proinde literarum fœtus, ſi quos produxerint, vobis educandos, vobiſq; prouehendos non inuiti committant. Eadem ego ratione ductus, poſtquam aliquot Capita, in locis Communibus, Clariſſimi viri Philippi Melanthonis abſoluiſſem, vt ſatisfacerem diplomati Regio, quaſi excurſu quodam breui in pratum Philoſophicum, diuertere placuit, ibiq; ex floribus fragrantiſsimis, ſuccum aliquem, modeſtis & bonis ingenijs non ingratum (vt ſpero) qua fieri poſſet induſtria exprimere. Hic ſuccus non alius ſanè eſt, quàm Methodicæ doctrinæ, particula, quædam:

quæ vt non prima, ita quoq; in scientia Demonstratiua, non postrema merito Censeri debet: Cùm dempta hac particula, Sol è mundo literario sublatus esse videatur.

Hanc particulam suppeditat magnus ille Aristoteles, peripateticorum consumatissimus, quem interpretes omnes, miris laudibus efferunt, & summum Philosophum, naturæ miraculum, eiusdemq; veluti fidelissimum scribam, nominare solent, & quidē meritò nam methodicæ doctrinæ princeps fuit hic vir. Primus n: ordinū & methodorū præcepta, ex naturalis ingenij fertili quidē agro, sed tamē inculto, déduxit, repurgauit, excoluit: & STOICORVM argutijs neglectis, naturalem disserendi artem (quam logicam vocant) artificiosa methodo cōstituere, magno cum conatu, nec minore cum successu tentauit. Sed vt in cæteris artibus ac scientijs præstātissimis, fucata Sophistice, animos hominū occæcare, & specie recti decipere consueuit: ita & in logica accidit, quam, cùm veluti arcem Sophistice sæpe occupasset, mirum deinde non fuit, tot iam se-

culis,

culis, tam miserè à barbaris Sophistis oppressam, & penè extinctam fuisse veram Philosophiam. Vt n: si funalia crebra in splendida quadam domo accendantur, non tantum eam illustrant, sed etiam fumo inficiunt: ita quoq; contigit, vt tota Philosophia, ex corruptæ logicæ contagio, à suo ferè statu deiecta, Sophistarum imperium longo tempore perferre coacta fuerit.

Hoc cùm tam verum quàm verissimum sit, magnam laudem meretur, pura illa vetustas, quæ vt alia Aristotelis opera, ita & hoc logicum Organon, veris commentarijs illustrauit, à tenebris & mendis Sophisticis vindicauit, & ad posteritatem laudatissimo conatu fideliter propagauit. In hac autem Alexander aphrodiseus, sub Seuero & Antonino imperatore Philosophiam Professus, primus omnium ARISTOTELEM antea viris doctis magis laudatum, quàm intellectum commentarijs enarrauit. Ex huius schola, tandem tanquã ex equo Troiano, vt de Isocrate dicit Cic: multi viri emanarunt, vt Themistius, Ammo-

nius, Simplicius, Philoponus, Olym-
piodorus, qui omnes vtilē operā Reip:
Literariæ nauarunt, & suis Lucubra-
tionib: ita mentem Arist: expresserūt,
vt non nisi improbi, tantulum ab eius-
dē vestigijs sese subtrahere voluerint.
Horum laboribus, cùm in hoc paruo
tractatu, tum alijs enarrandis, non pa-
rum me adiutum fateor, ac alijs horta-
tor esse soleo, vt iacto fundamento in
græcis, in hoc doctissimorum hominū
myrothecion sese abdant. Est enim in-
genui hominis, confiteri per quos pro-
fecerit, & alijs eandem viam fideliter
monstrare.

Cum autem Arist: ita ediderit sua
scripta, vt posint singula, multorum ho-
minum lucubrationibus & commentatio-
nib: illustrari, nonnulla copiosius explica-
ri, multa præcepta ornari & instrui plu-
ribus exemplis: ita & logica ipsius, qua
certissima duce, ad rerum omnium cogni-
tionem iter capessimus, progressiones ac
incrementa accipiat oportet, expoliatur
deinde, limitetur, excolatur, ac multorum
collatis operis atq; laborib: absolutionem
aliquam consequatur. Hac de causa, etiam
post alios, præstanti ingenio & doctrina
viros

viros, hac vice saltem vnũ tractatum, adhibito iudicio διανοητικῶ iusta explicatione donare volui, illaq; explicare vberius, quæ non omnibus exposita & prompta esse existimarem, multa omittens, quæ ex veterum & recentium Philosophorum fontibus, hauriri & sumi possent. In hoc labore, quantum studio & diligentia efficere potui, dedi operam, vt hic commentariolus, non tantum rudiorib: prodesset, sed etiam mediocriter in logica versatis, apertam ad Arist: viam monstraret, pluraq; excogitandi occasionem præberet. Quod ad ipsam interpretationem attinet, sequor methodum illam διαλυτικὴν, quam hic author, cùm in his libris, tum in Rethoricis eruditè proponit, ac omnia simpliciter, sine vllis cauillationibus expono, abstrusiora, illis relinquens, qui hæc Gryphis cleantheis, aut tendiculis Chrysippeis, ne dicam ockanicis excarnificant.

Hunc commentariolum Magnificentijs vestris GENEROS: & AMP: viri, duab: de causis & illis quidem iustissimis, nuncupandum constitui, quarũ prior est consuetudo antiquorum scriptorum, qui consueuere sua scripta, in lucem edere sub Patrocinio Mecœnatis alicuius, quo & robur & authoritatem consequerentur

maio-

maiorem. Posterior verò, vt his pagellis fidei meæ obsidem, meæque erga M. V. obseruantiæ & voluntatis, perpetuum testem ostenderem. Vestris enim MAGNIF: vt meritò ego ipse, secundum Deum ascribo, quòd in hac mea dulcissima Patria, & hospitium & docendi locum aliquem consequutus fuerim: ita & auditores mei ac boni omnes, hanc Paternam vestram Prouidentiam, singularemque curã erga Rempub: literariam magnifacere & agnoscere debent, ac si aliquem, in hoc literario agro, in quo iam versor, fructum conseruëro, ipsis sapidum & odoratum, vestris MAGNIFIC: acceptum referre. Vos autem viri Magnifici, hunc meum commentariolum, hilari vultu suscipite, studiaque mea beneuolo placidoque animo souere pergite, vt me ad literariam culturã (vobis annuentibus) confirmatum, meliores posthac & copiosiores fructus, Magnificentijs vestris offerentem videatis. Deum opt. Max: oro, vt difficilib. & turbulentis hisce temporib: M. V. clementer conseruare, vobis consilia suggerere, suisque donis magis magisque cumulare dignetur. Hafniæ ipso pentecostes die, 1585.

V. M. Deditiss:

Iohannes Olai Slangendorp. TH. D.

INde magna oritur perturbatio & confusio, quòd non intelligant homines, ad quid potissimum sint nati, & quò eorum studia sint referenda: inde etiam fit vt ea eruditorum hominum copia non habeatur, quæ à multis optatur, & qua maximè Ecclesia Christi indigeat.

Nam cum ad reprimendum prauorum hominum superbiam, & ad erudiendos nos ad humilitatem, iusserit Dominus, vt artes & scientiæ labore comparentur: ingrediuntur quidem hanc discendi viam satis alacriter, multi, ingenio & dexteritate præstantes iuuenes, sed succo prudentiæ destituti, sordidissimè nobilissimas scientias addiscunt, ad quæstum & ostentationem omnia conuertentes. Hinc in Scholis & Ecclesijs, magno-

rum hominum fama, doctrina, eloquentia, inuenta deniq; ac præcepta in extremum discrimen redeunt, dum multi, quasi numine quodam non apollineo, sed ampullineo afflati, veterum dicta, inuentaq; reprehensionum grandine obruunt, & vt insufficientia, vel impertinentia, vel deniq; confusanea & aliena omnia clamitant. Hanc deprauatam consuetudinem, sua quoq; ætate multorum animos occupare, animaduertens magnus ille Plato, in septimo de Repub: libro, prohibuit adolescentes, in vtramq; partem argutis quibusdam disputationibus contendere, idq; duplici de causa: ne ad inanem ostentationem erudirentur, et ne iudicium corrumperent. Hanc etiam ob causam S. Gregorius Nazianzenus, in libro de moderatione adhibenda in disputando,

tradit

tradit quaſdam regulas, admodum vtiles, quibus ad modeſtiam & humilitatem debent ſtudioſi erudiri. Ita enim ſummus ille vir ſcribit: non modeſtum tantum & humilem eum appellamus, qui de ſeipſo parcè, & cum paucis loquitur, & infimos humaniter complectitur: ſed qui locum eruditæ doctrinæ libenter illis ad quos pertinet, relinquit, & ſe fatetur neſcire quod non optimè tenet: & paulò poſt inquit, ſe malle eſſe ignarum, quàm curioſum, & ſtupidum quàm audacem, in pronunciando. Hæc verba vtinam conſiderent illi, qui tanta cum voluptate, de omnibus rebus altercantur, vtinam inquam conſiderent, qui omnia, quæ à laborioſa vetuſtate, in artibus & profeßionibus, Catholicè, grauiter & vtiliter dicta ſunt, mira ac inſulſa dicacitate coar-

guunt, pedibus calcant ac fastidiunt, alium proculdubio sibi finem, in studijs & actionibus suis, in posterum essent præscripturi, & existimaturi, propterea sese natos vt quidquid ipsi didicerint, ad gloriam Dei communicent cum cæteris, eos hortando, docendo, adiuuando & consolando, vt & facilius & maiore cum fructu proficere poßint, & veram sapientiam, quam expultricem errorum nominamus, fideliter teneant. Talem sapientiam, vt vos assequamini, qui vel Serenißimi regis nostri ac Domini clementißimi, vel parentum vestrorum sumptibus in hac academia alimini, vobis etiam atq; etiam cogitandum erit. Ego vero inter alios, quorum præcipuum munus est, vos ad studia & ad omnes virtutes impellere, nunquam mihi vllum recusandum labo-

2 Prælectio 11. Martij proposita.

rem suscipiam, dummodo & vobis prosim & officio meo satisfaciam. Quid igitur agam vt vestris studÿs consulam? proponam ex Aristotele summo Philosopho tractatum, non magnum quidem sed vtilissimum & vestris studijs (vt opinor) accommodatissimum, in quo cum omnis pulchritudo ab ordine proficiscatur, ita, vt ordo à Platone, appellatus sit anima rerum, & appellari etiam possit anima artium & scientiarum; hunc & ego ordinem seruabo; vt primum, cum Aristoteles quatuor libros inscripserit analyticos, exponam differentiam, qua inter se discrepant libri Analytici & methodus analytica, in qua traduntur leges nostræ. Secundo loco, de distinctione logices Dialectices & demonstratiuæ, scientiæ dicam.

Tertiò, quod confusio nominum ac rerum logices, Dialectices & demonstrationis, multa incommoda peperit, ac in primis absurdam illam partitionem dialectices in inuentionem & iudicium.

Quartò, quo pacto ex finis notione logica inuenta sit.

Quintò, de occasione cur Aristoteles de his legibus egerit, in hoc secundo tractatu primi libri posteriorum, Cap: 4. Sextò, generalis definitio omnium legum proponi debet.

Vltimò, Analysis & exigesis textus, vsum verum singularum legum & definitionum monstrans, instituetur. Quæ autem proposui, explicabo breuius & dilucidius quàm potero, itaq; primum caput aggrediamur, quod pertinet ad inscriptionem horum quatuor librorum.

CAPVT

MVlti anxiè satis, quærere solent & sese excruciare, cur Aristoteles libros suos de syllogismo: priores duos priorum, & posteriores duos sequentes de demonstratione, ἀναλυτικοὺς inscripserit: Ad hanc quæstionem licet vt fieri solet, in magna opinionum varietate, alij alias adferant rationes: in hac tamen pleriq; consentiunt, propter illam particulam, quæ in postrema parte primi libri priorum continetur, deq; syllogismorum ἀναλύσει in propositiones, figuras & terminos inscribitur, omnes quatuor illos libros nomine ἀναλυτικῶν, insignitos fuisse. Quod quidem, vt dari minimè poterit: ita rationes euidentes, ab eruditis & ingeniosis hominibus in

medium adferuntur, quæ contrarium euincunt, & hanc opinionem, vt incertam, fallacem, ac lubricam euertunt & penitus refellunt. Primùm quidem, parum probabile videtur, Aristotelem propter particulam, neq; præstantissimam, neq; maximam: quatuor libros voluisse ita denominare: præsertim cum ea ipsa particula, in vno tantum libro sit reposita: vnde cum in posterioribus analyticis, nihil de hac resolutione seu retexione syllogismorum dicatur, atq; adeò ad hos libros non pertineat, quomodò inde nominentur non apparet. Deinde, si quis asserat non propter syllogismorum ad propositiones & figuras reductionem: sed propter aliam quampiam causam, posteriores libros hoc modo appellatos fuisse: vix etiam ipse satis constanter, hanc senten-

tiam

tiam tuebitur. Primùm enim hoc pacto, non commune nomen habebunt isti quatuor libri, aut non ob communem causam ita vocati sunt: sed priores quidem ab ea syllogismorum retexione, quæ dicta est: posteriores autem ab alio, nomen acceperunt, quod quidem Aristoteli aduersari, minime dubium est. Nam Aristoteles ita hos quatuor libros, in principio primi priorum analyticorum coniungit, vt disiungi proximè dicto modo nequeant. Postremò inuenienda aliqua causa etiam foret, propter quam secundus liber analyticorum priorum, ab illa resolutione rectè denominatus fuisset, quum in eo nihil magis locum habere posse videatur, quam in sequentibus duobus libris. Accedit superioribus etiam alia causa firmior, sententiamq́ nostram magis roborans, nempe quòd

3. Prælectio 12. Martij.

omnino plurimum differunt, ἀνάλυσις ista, de qua in fine primi priorum & Methodus analytica, à qua nomen hoc, prædictis libris inditum constabit. Etenim analysis ista, est retexio seu reductio, facti iam ab aliquo syllogismi, in suas propositiones & terminos: at Methodus analytica progressio quædam est artificiosa, à fine propositæ rei alicuius, ad inuentionem eorum, à quibus ille finis producitur, hîc præter finem nihil habemus, sed omnia quærimus, ibi omnia habentur in medium proiecta, & tantummodo ex verbis, vel etiam à nobis excogitatis seliguntur propositiones necessariæ, & reijciuntur alienæ & superuacaneæ. Secundò, per resolutionem nulla ars inuenitur, siue inuenta est: sed per iam dictam Methodum analyticam, omnes artes inuentæ sunt:

hoc

hoc frequenter affirmat Philosophus, neq; aliud nos ratio docet. Quippè nisi finis ad agendum, contemplandum, quærendumq; excitet, nec agere, nec speculari, nec quærere quisquam volet.

Quare ut concludamus hoc primum membrum, ex iam datis maximè apparet, quod Aristoteles hos quatuor libros, in quibus præcipua & maxima pars logicæ artis continetur, non ἀπὸ τῆς ἀναλύσεως συλλογισμῶν εἰς τὰ σχήματα, καὶ τὰς προτάσεις, non à resolutione syllogismorum in figuras & propositiones: verum ἀπὸ τῆς ἀναλυτικῆς μεθόδου denominasse. Cuius quidem rei, duas proferre causas mihi posse videor. 1. est, quòd per hanc methodum, disposuisse capita totius disputationis de arte logica videtur. Quòd qui negat, rem non satis per-

perpendit, & cognouit. Quare à methodo ista, quæ perpulchræ dispositioni totius operis, aut certè maximæ parti conuenit, rectè hos libros nominauit. Altera est, quòd hac inscriptione se authorem logicæ artis, ostendere voluerit: Cùm neq; parùm probabile sit, ipsum non modò præcepta ab alijs excogitata illustrasse & demonstrationibus confirmasse: verumetiam, præcipuam eorum partem adinuenisse, atq; hoc modo, artem perfecisse, præsertim, si quis ipsum de his rebus 17. cap: 2. elench: disserentem, audiat.

DE SECVNDO Capite.

N hoc secundo membro, antequam ad res ipsas descendam, monendi mi-

bi stu-

hi ſtudioſi de his duobus, ſunt: I. De nominibus Dialectices, logices, artis & ſcientiæ, vt quomodo his, in hac diſputatione vtatur Ariſtoteles, intelligant. 2. Duobus modis aliquid probari poſſe, ſcilicet, proprijs rationibus & communibus. In his duobus, fundamentum poſitũ eſt omnium dicendorum in hoc ſecundo capite.

DE PRIMO.

PRincipiò quod ad nomen logices, non pro Philoſophiæ tertia parte, (quæ cæteris duabus ab Academicis & Stoicis addita exiſtimatur, & Rhetoricam, Dialecticam, atq; Grammaticam complecti, ſcribitur) ſed tantum pro ea arte ſignificanda ponitur, quam multi nomine Organi, alij iudicij exprimunt: quum ſcilicet, Dialecticam in Iudicium & inuentio-

nem

nem secant: hoc est pro ea tantum-
modo arte vsurpatur exprimenda,
quæ nos docet construere definitiones,
diuisiones & syllogismi species. Itaq́;
meminerint hîc studiosi, quotiescunq́;
vel legant vel audiant Aristotelem,
logicorum argumentorum facere
mentionem, Dialectica communia &
verisimilia solummodò ipsum intelli-
gere. Deinde nomen Dialectices,
neq́; cum Platonicis pro prima Phi-
losophia, neq́; cum Academicis &
stoicis, pro arte, aliquid quouis modo
concludendi, quomodo hodiè permulti
accipiunt, & intelligunt, accipit
Aristoteles: sed pro facultate seu
arte probabiliter, ex communibus &
opinabilibus de re proposita quauis
differendi, quæ ab ipso in Topicis tra-
dita expositaq́; habetur. Tertiò,
Nominibus artis & scientiæ, eodem
modo,

modo, & in eodem ſignificato vtitur, alterumq́; pro altero ſine diſcrimine ponit, & hoc quidem ideo facit, quia nonnunquam dicere cogitur, quæ vtriſq́; ſcientiæ videlicet atq́; artibus, conueniunt. Sic & facultatis nomen, pro ſcientijs pariter & artibus ponit: tametſi quid, ab his, facultas, aliquando differat, nemo ignoret, quemadmodum & qua in re artes & ſcientiæ distinguantur. Atq; hoc de nominum vſu dictum ſufficiat.

Cæterum quod ad alterum, quum de re aliqua diſputamus, ſiue nobiſcum, ſiue cum alijs conferamus, neceſſarium eſt, vt argumenta, quibus vel noſtram ſententiam firmare, vel alienam confutare, vel aliâs veritatem inueſtigare, patefacereq́; inuentam, ſtudemus, aut ex proprijs alicuius artis principijs ducantur, aut ex

commu-

communibus quibusdam sententijs extruantur. Modi plures non inueniuntur. Nam omnis probatio, vel est certæ alicuius facultatis propria: vel nullius propria: sed talis quæ ex æquo cunctis, aut saltem pluribus aptari queat. Sed primum videlicet: singulas scientias, sua quædam habere principia, quæ non sint ipsis cum alijs communia, non opus habet probatione. Quid enim ad Geometricas quæstiones explicandas prosunt Geometræ, Medicinæ principia, vel aphorismi hypocratis, aut econtra. Hoc enim pacto de genere in genus transitur, contra præceptum philosophi. Nam propositiones sic propriæ non permanent, verum alienæ efficiuntur: vt si Arithmeticæ propositiones, transferuntur in Geometriam (vt dictum est) aut Geometricæ in

Quarta prælectio 15. Martij.

Arith-

Arithmeticam: vel ſi clarius exemplum vel notabilius deſideras, ſi Phyſica pronunciata Ethicaué, vel vt vno verbo dicam, Philoſophica in ſacroſanctam Theologiam traducuntur ac deportantur. Quam diſtinctionem multi Theologorum prorſus negligunt, & in grauiſsimis de religione controuerſijs, fas eſſe ſibi Philoſophari arbitrantur. Qui ſi ita perrexerint, dubium non eſt ſupplicia æterna eos certò certius manere. Hominis enim verbo magis credunt quàm verbo Dei, quoniam propter quod vnumquodq; eſt, vt Philoſophus ait, id potius eſt. Cæterùm, ſi hæ duæ diſciplinæ coniunctæ fuerint, ita vt hæc Theologiæ ſubijciatur, & non altera cum altera confundatur, exiſtimo equidem in cauſarum veritate cùm iudicanda, tum inuenienda, neq; labora-

turos nos esse, neq; turpiter hallucinaturos, sed ne longius ab instituto digrediamur, si aliquando eadem reperiuntur in diuersis artibus principia; dubium non est quin vel altera ab altera sit mutuata, vel certè non similiter ipsis vtatur, quod contingit in ijs artibus & scientijs quæ sibi inuicem succedant, vel (vt in scholis loquuntur) subalternentur.

Aristoteles cap: 8. P. Posteriorũ.

Verùm alterum, communia reperiri principia, siue communes extare sententias, quibus de re qualibet ferè ex æquo ratiocinari possumus, nemo dubitat. Etenim Dialecticus talibus ferè vtitur in differendo, quo fit vt de omnibus propositis rebus, similiter ex arte sua disputare audeat & possit, quum principijs vtatur, quæ vnicuiq; rei accommodari queant.

Hanc sententiam confirmat Aristo-

Aristotelis testimonium, quod extat in secundo cap: 1. libri Rhetorices Theodecteæ. Λέγω γὰρ διαλεκτικοὺς τε καὶ ῥητορικοὺς συλλογισμοὺς εἶναι, &c. *ex quo loco Aristotelis, quinq; sunt notanda, quorum primum docet, duo esse probationum genera vt supra docui. Secundum, Syllogismos Dialecticos ex communibus illis, ait constare debere. Tertium, communia hæc, non ad vnam magis, quàm ad aliam artem pertinere, atq; ideo verè communia esse ostendit. Propria verò è conuerso dici indicat, quæ vni tantum generi ita congruant, vt alij nulli eodem modo conueniant, propositiones, inquit, sunt de Physicis, ex quibus nec syllogismus, nec Enthymema fit in ethicis, vnde satis liquet propositiones ex medicina excerptas: Ita huius esse proprias, vt in hac sola*

polleant, ſic geometricæ in geometria, ac ethicæ in diſputatione de moribus pondus habent. Quartum eſt, quòd communia iſta ſiue Dialectica ſiue Topica, affirmat eiuſcemodi eſſe, propter quæ neminẽ in certo genere, ſeu in certa aut particulari arte eſſe ait, quòd in nullo certo genere iſta verſentur, nec vlli vni materiæ, aut generi rerum ſoli congruant: ſed omnibus ex æquo conuenire poßint. Taceo quòd ab initio Rhetorices ſcripſit, palam affirmans Dialecticam & Rhetoricam, circa communia hærere tantum, ac certum ſubiectum nullum habere: quin omnes homines aliquo pacto vtriuſq; participes eſſe: quos tamen reliquarum ſcientiarum notitiam obtinere, nullo modo concedit. Quintum, ſi principia (ſcilicet propria) habere aliquem contingat, non amplius

erit

erit Dialectica aut Rhetorica, ſed illa cuius principia habet. In memoriam ergo nunc reuocent ſtudioſi. I. quod ex Ariſtotele abundè docui, duobus modis aliquid probari poſſe. 2. Dialecticam, peculiarem & ab omnibus alÿs artibus ſeparatam eſſe facultatem, quæ in veriſimilibus & communibus ſolum occupetur, nullius artis propria conſectetur. Iſtis hoc modo expoſitis, nunc conſequens eſſe videtur, quò magis vſus vocum, menti ſubÿciatur, vt duo faciamus. Primum, vt breuibus deſcriptionibus naturam eorum particulatim explanemus. Alterum, vt tum poſtea differentiam ac diuerſitatem, qua inter ſe differunt hæ voces, Logica, Dialectica, & demonſtratio adferamus, vbi primum oſtendam dialecticam & demonſtrationem longiſſimè inter ſe differre.

Deinde analyticam doctrinam, quam hodie plerique omnes logicam nuncupare solent, diuersam ab vtraque, Dialectica scilicet & demonstratiua scientia.

Quinta prælectio 16. Martij.

Quod ad primum in hunc modum describi potest Logica, Logica est ars, præcepta siue regulas præscribens constituendi instrumenta cognoscendi.

Huius definitionis duæ sunt partes. I. Pars continet genus, genus autem est ars, quæ cum nihil aliud sit, quàm præceptorum collectio, certa lege ac methodo comprehensa, sequitur artem aliquam liberalem, absque præceptis logicis addiscere velle, non saltem laboriosum, sed omnino impossibile esse. Nec obstat mihi quod assumant: multos multa scire, logices cum ignari sint, vnde conficiunt aliquem,

quem, rem quampiam ſcire ac cognoſcere, abſq; præceptorum iſtorum noticia. Ad hoc reſpondeo, concedendo verum aſſumptum eſſe ſecundum quid. Sed addo nihilominus quòd hoc ipſum quod norunt, ita norunt, vt an rectè & certò norint, & an falli nequeant, nihilominus neſciant.

Secunda pars eſt differentia, quæ continetur in poſtremis verbis, nimirum Conſtituendi inſtrumenta, &c. Hæc differentia innuit logicam tradere inſtrumenta, quorum conſtituendorum regulas præſcribit. Sed quænam hæc ſunt inſtrumenta? reſpondeo, propoſitiones, definitiones, diuiſiones, ratiocinationes, tum neceſſariæ & demonſtratiuæ, tum probabiles & Dialecticæ. Ex hac definitione tria diſcimus: I. Neceſſe eſſe vt quiſquis ex arte nouit fabricari inſtrumen-

Vſus definitionis in tribus conſiſtit.

ſtrumenta, quorum conſtructionem logica docet, artem etiam conſtituen- di eadem prius nouerit. Cæterùm in materialibus inſtrumentis, non eſt neceſſe vt qui inſtrumenti alicuius vſum probe callet, artem quoq; fabri- candi illud idem, calleat. Nam cor- porea inſtrumenta, quæ certus arti- fex fabricatus eſt, cum per ſe iam ſub- ſiſtant, ab alio arripi queunt, inq; vſum traduci, quamuis artem vel modum conficiendi ea neſciat. At inmaterialia ſiue rationis inſtrumen- ta, quia non ſunt res corporatæ, atq; in intellectu ſolum vtentis ſubſiſtunt, poßideri nequeunt, quin ſimul ars ipſa præſcribens ac docens poßidea- tur. Deinde diſcitis quòd præcepta logices, quæ nihil aliud ſunt, quàm modus iſte ſciendi ſeu cognoſcendi, plurimum differant ab eo, quod iux-

ta eo-

ta eorum præscriptum addiscimus. Postremò, quòd qui logicam solum nouerit, rerumq; & aliarum scientiarum imperitus sit, is propemodum nihil nouit: & hoc est quod soliti sunt quidam dicere, purum logicum esse purum asinum. Atq; hoc quidem sufficit de descriptione logices.

Dialectica autem, secundum Aristotelis mentem & Simplicium, nihil aliud est, quàm congeries locorum, siue communium sententiarum, quæ cunctis rebus ferè aptari possunt, vel vt dicam ἀμαθέςερον ἀλλὰ σαφέςερον, nihil aliud est, quàm veluti armamentarium, omni probabilium propositionum genere instructissimum, ex quo quoties cuiq; libet, argumenta promere poßit, vel ad se defendendum, vel ad alium tentandum, exercendum atq; oppugnandum. Hæc loca

siue communes sententias, ex quibus Dialectici & Rhetorici syllogismi constant, dubium non est Aristotelem in Topicis tradidisse, quod qui ambigit, si vel solum primum Topicorum attentè & cum iudicio perlegere volet, perspicuè intelliget methodum ex probabilibus disserendi: ita ab ipso in topicis traditam esse, vt materiam ex qua, conficiunt Dialectici suas ratiocinationes, in illos libros propè omnem comportarit. Discitis itaq; hinc, longè aliter se rem habere cum Dialectico quàm cum logico. Nam logicus se propemodum habet, quemadmodum Grammaticus aliquis, qui nihil aliud didicit, quàm regulas congruè loquendi: nec res vllas nouit.

6. Prælectio 18. Martij

Verum dialecticus bonus, etiamsi in arte alia nulla, sit præcipuè eruditus, de re proposita ferè qualibet, apposi-

tè

tè & artificiose ex artis suæ principijs disserere potest, & hoc quidem ex topicis, qui libri continent locos siue communes sententias, ex qualibus, Dialectici syllogismi conflantur, supra trecentas. Logicæ & Dialecticæ naturam, descriptionibus vtcunq; expressi atq; distinxi. Iam demonstratiua scientia, quomodo sit describenda, considerandum erit, quæ, quia tam latè patet, quàm latè patent res demonstrationis capaces, difficulter certè adumbrari verbis claris poterit. Verum si aliquid hîc tentandum videtur, sic dici potest. Demonstrandi scientia vel methodus demonstrandi, est habitus inueniendi & perspiciendi veram causam, & proximam, quòd & cur in vnoquouis subiecto, passio siue proprietas siue affectio demonstrabilis insit. Ex de-

scriptione

scriptione hac tenebunt, studiosi, quòd hæc facultas non in paucis chartis contineatur, sicut Dialectica, sicut Logica, & sicut cæteræ artes ac scientiæ penè omnes: sed pro multitudine rerum demonstrabilium multiplex sit, & pro earundem varietate varia quoq;. Quæ varietas non solum in forma syllogismi, sed in diuersitate rerum quæ demonstrantur, consistit. Nunc quia de descriptionibus dictum est, ad secundum membrum veniemus, & iuxta institutum ordinem progrediemur, ac differentiam inter demonstrationem & Dialecticam, à materia, forma, obiecto, lege prima & lege secunda, item finitate & infinitate ostendam.





Etsi autem Aristoteles in posterioribus analyticis, regulas nobis præscripserit, quas in demonstrando sequi cogimur, aut iuxta quarum præscriptum demonstrationes construere nos oportet. (Siquidem certi essè volumus, nos à recta via non deflexisse,) non tamen ille materiam demonstrationum, in prædictis libris posuit, vel proponere potuit: in causa est, demonstrationem omnem in certo aut determinato genere constitui, oportere, atq; alijs & diuersis artibus confici. Sed de Dialectica non hoc modo res se habet, sed planè contrario. Nam Dialecticæ præcepta simul & materia Dialecticorum syllogismorum, hoc est, propositiones præcipuæ & generales propè omnes, in

opere

opere vno ac certo, scilicet in topicis libris, actu positæ comprehensæq; sunt. Continent enim locos siue sententias communes omnino plurimas, quas Dialecticus in differendo de qualibet re proposita, adhibet, atq; ad rem quamuis perfacilè aptare poterit. Quod si non vtramq; syllogismi propositionem, ibidem semper inueniri aliquis contendat, non debet hoc mirum alicui videri. Res etenim quæ in disceptationem veniunt, infinitæ quodammodo sunt, verba autem finita. Satis igitur est, saltem maiorem à logicis vocatam propositionem, in qua ferè firmamentum & robur syllogismi consistit, in his ipsis plerumq; descriptam inueniri.

II. A FORMA.

Qui

Prælectio 19 Martij



QVi demonſtrare aliquid cupit, vtramq́ propoſitionem à rei demonſtrandæ eſſentia ſumere debet, & eas ita proprias rei demonſtrandæ eſſe conuenit, vt alteri nulli rei aptari poßint, vnde ſequitur quòd fruſtrà eas alibi quæret, quàm in ea ſcientia, in qua id quod quæritur ex profeſſo docetur. Quare ſi Theologicam aliquis demonſtrationem meditatur, propoſitiones fruſtrà inuenire extra facultatis Theologicæ terminos, ſtudeat.

Dialecticus autem qualiſcunq́ aut de quacunq́ re proponatur quæſtio, parum curat, vt qui ex iiſdem ac communibus, de vnaquauis re diſputet: Siue enim quæſtio propoſita ſit Medica, ſiue Phyſica, ſiue Arithmetica, ſiue Logica, ſiue Ethica, ſiue Theologica, ex iiſdem ſemper locis argumenta

menta promit, & propositionem saltem primam, perpetuo ferè actu repositam, in arte sua nouit, alteram etsi angustiorem assumat, atq; in ea propius aliquantò ad rem quæsitam accedat, eandem tamen ex communibus accidentibus, adiunctis, cognatis & alijs circumstantijs, atq; adeo ex aduersarij opinione & confessione arripit.

III. IN OBIECTO.



Qvi demonstrat, circa rem certam versatur, nec potest ex principijs suæ scientiæ proprijs, aliquid in diuerso genere, demonstratione concludere, nisi quomodo id ab Aristotele, in 7. cap. 1. libri posteriorum analyticorum expositum est: At Dialecticus nullum habet subiectum genus certum,

tum, vt paßim idem affirmat, atque octauo capite iam citati libri scripsit. Sed æqualiter de omnibus rebus disserit, ac vnum & idem principium, rebus natura diuersißimis aptat.

IIII.


Ifferunt à conditionibus veritatis, id est, lege prima & secunda nostra, quia demonstratio construitur ex necessarijs & proprijs & ab essentia rei demonstrandæ, sumptis propositionibus, nec in demonstrando extra cancellos artis, in qua tunc versatur, exilire potest, vt aliunde auxilium accersat. Dialecticus autem nullum horum facit, sed ex communibus accidentibus, & ex propositionibus à re alienis, modo probabiles sint, aut saltem ei, cum quo aut con-

tra quem disserit, videantur & probentur, propositum suum confirmat. Item materia demonstrabilium, etsi per vniuersam naturam peruasit, non tamen possunt in genere quolibet, omnia demonstratione ostendi. At Dialecticè probari aut confutari possunt omnia. NB De omnibus namq́, etiam de primis scientiarum principijs, potest ac solet Dialecticus disserere.

V. AB INFINITATE ET FINITATE.

Tot sunt demonstrationum principia, quot sunt res demonstrationis capaces, aut certè quot scientiæ sunt, demonstrationibus vtentes. Sed infinitæ sunt res demonstrationum capaces. Relinquitur ergo infinitas esse demonstrationes, & per conse-

quens

quens non in vno libro, omnium demonstrationum propositiones maiores, colligi potuerunt, vt quæ pro rerum varietate mira, mirè quoq; varient. Cæterùm Dialecticorum principia, propemodum omnia vel certè plurima, in vno Topicorum volumine ab Aristotele comprehensa, descriptaq; leguntur, non igitur διαλεκτικὴ καὶ ἀπόδειξις μία. *Probaui nisi vehementer fallor solidè ac perspicuè simul, Dialecticam à demonstratiua scientia plurimum differre. Nunc restat & alterum probandum, nimirum Logicam ab vtraq; hac, planè diuersam ac distinctam esse.*

Vbi primum probabo logicam Octaua
distinctam à demonstratione, deinde prælectio
à Dialectica, postremò ab vtraq;. 22. Mar-
tij.
Primum autem vt studiosi intelligant, non tantum rationibus, sed ex-

Similitudo.

emplis expediemus omnia. Fingamus igitur aliquem domum ſibi extruere velle, qui ad fabrum materiarum aut architectū veniens, quantam & qualem habere deſideret, primum indicabit. Dicet enim ſe domum cupere certæ cùm longitudinis: tum altitudinis: vt trium aut quatuor tabulatorum, iuſtè inter ſe diſtantiæ, & certo præterea numero conclauium inſtructam: ſignificabit etiam quo in loco, & quot in ea hypocauſta, atq; etiam vbi & quot deſideret cubicula, vbi culinam & cæteras domus partes cupiat eſſe, ſimul exponet, atq; talem ſibi domum extrui præcipiet, qualem vel verbis, vel exemplo chartaceo deſcripſerit, quantumuis ipſe artis ædificandæ omnino ſit ignarus. Verùm, architectus ex congeſta materia iam domum ædificat, & ad formam ſibi

præſcri-

præſcriptam, aream totamq́; domum partitur, & nulla in re à mandatis diſcedit: qui ſic ædificauit, rectè ædificaſſe dicitur: non quòd ædificandi artem, ab eo, cui operam ſuam locauit, acceperit: ſed quia artem ſuam, legibus ipſi ab ædium futurarum domino præſcriptis, accommodauit. Iam cogitare debetis logicum eum eſſe, qui quomodo ædificari domus debeat, imperet: demonſtratorem autem, fabrum ſeu architectum. Etenim ſimili ferè modo regulas præſcribit logicus illis, qui demonſtraturi aliquid ſunt, ad quas in conſtituenda demonſtratione perpetuò tanquam ad ſcopum ſic reſpicere coguntur, quemadmodum qui ædificat, ad propoſitum futuræ domus ſimulachrum, reſpicere in omnibus cogitur. Ex hoc exemplo, omnino tardum eſſe eum oportet, qui nondum per

 ſpicit,

ſpicit, longè diuerſiſsima eſſe logices præcepta, vel omnia, vel ea tantum, quæ quales eſſe demonſtrationes oporteat, docent tenere, & demonſtrare aliquid, iuxta hæc præcepta poſſe. Tantum inquam differunt, quantum perpendiculum habere, & ad huius præſcriptum parietem dirigere, aut lapidem incidere formareq; poſſe. Nunc verò quod de diuerſitate logices & demonſtrationis dictum eſt, idem etiam de Dialectica vel Dialectico, qui ſanè quoq; plurimum diſtat à logico cenſere debetis. Nam & huic logica, certas præſcribit regulas, vt quomodo & ex qualibus, ſyllogiſmum ſuum conficere debeat, intelligat: quanquam longè pauciores huic, quàm demonſtratori præſcripſerit, quas quidem reperietis in I. Topicorum, (loquor ſolum de præceptis ſyllogiſmi

logiſmi

logismi Dialectici: non de illis, quibus ad disputationes, tentationes, congressus, & similia, instruimur) quae praecepta, non magis inserit ulli suo syllogismo, Dialecticus, quatenus scilicet Dialecticus est, neq; de logicis regulis disceptat, quàm demonstrator. Sed cum cognoscere cupit an rectè, hoc est, an Dialecticè sit ratiocinatus, ad logices praecepta examinat, ut iam de demonstrationibus dixi. Hactenus explicaui aliquo modo duo priora, restat iam ultimum probandum, nimirum logicam ab utraq; diuersam esse, quod quidem tribus modis praecipuè fiet.

I.



Ogica doctrina docet quo pacto syllogismi constituendi sint: siue quo pacto orationis partes aliquot,

ita connectendæ sint, vt ex ipsis concessis aut positis, id conficiatur quod confici volumus. Sed tam demonstrator, quàm Dialecticus huiusmodi syllogismis perpetuò vtitur, & regulas à logico præscriptas, in contexendo syllogismo suo, obseruare & sequi cogitur. Vnde analytica doctrina, quam logicam plerię vocant, reliquis præscribens & imperans, tam à Dialectica, quàm à demonstratiua scientia est diuersa.

II.

logica famula dialectici.

EX superiore probatione manifestum est, logicam non minus Dialectici quàm demonstratoris esse famulam, siquidem vtrię ex æquo & similiter famuletur. Hoc cum verum sit, consectarium prorsus erit, vt vel

eadem

eadem ſit cum vtraq; facultas: vel certè vt Dialectica & demonſtratiua ſcientia, vnà & eadem ars ſint: vel ſi hæ differunt inter ſe, quod validiſsimè oſtenſum eſt, vt ab vtraq; logica ſit diſtincta. Sed cum duæ priores ſententiæ ſint manifeſtiſsimè falſæ: conſequens eſt logicam eſſe neutrius partem, ſed diſtinctam ab vtraq;.

III.


Liud eſſe regulam, & aliud eſſe id, quod ad eam dirigitur, inter omnes (puto) homines conuenit. Nullus enim tam eſt ſtupidus, qui non aliud eſſe lapidem qui ad regulam excinditur, quàm regulam, atq; aliud eſſè parietem videat, qui ad perpendiculum extenditur, quàm perpendiculum. Quare cum logicam con-

ſtet, cùm demonſtratori, tum Dialectico regulas præſcribere, ad quarum præſcriptum ſuos conficiat ſyllogiſmos: extra controuerſiam verum erit, aliud eſſe cum demonſtratiuum, tum Dialecticum ſyllogiſmum, ad præſcriptum logicarum regularum constructum, & aliud regulas, ad quarum legem talis ſyllogiſmus compoſitus eſt, & per conſequens logicam à Dialectica & demonſtratione diſtinctam. Hæc ſunt quæ de diſtinctione logices, Dialectices & demonſtratiuæ ſcientiæ ex peripateticorum: cùm veterum tum recentium ſcriptis, colligere voluimus: multa omiſi ne hoc caput plus iuſto excreſceret. Nunc vt ſtudioſis meditationis & diligentiæ præbeatur occaſio, accedam ad tertium caput, videlicet ad recitandum incommoda, quæ nominum ſimul ac

rerum

rerum dictarum confusio seu perturbatio procreauerit.

CAPVT TERTIVM.

IN hoc capitè, non recensebo omnia incommoda, quæ ex hac confusione rerum oriuntur, hoc enim magni laboris res foret: sed tantum ea, quæ in omnium ore & oculis versantur. Quorum primum est, absurda illa Dialectices bipartita diuisio, qua, in iudicium, et inuentionem distracta est. Intelligunt autem in hac diuisione per iudicium, rationem conformandorum syllogismorum & definitionum. Per inuentionem autem intelligunt plerique, non illam τῶν προτάσεων εὐπορίαν, de qua in prioribus analyticis Aristoteles egit: sed topicorum libros, seu rationem inueniendorum argumentorum

rum in topicis præscriptam. *Verùm* quòd ad hanc diuisionem, prior illa pars, iudicium nimirum, præcepta continens generalia, nulliq; materiæ propria, logicæ pars est, quæ nihil habet cum Dialectica simile. Hæc enim locos habet communes, quos aptare quibuslibet rebus possumus: Illa tales nullos habet, sed præcepta tantum, & veluti indices viæ præscribit: quos qui abundare argumentis cupit, in perquirendo sequi & obseruare cogitur. Deinde qui prædicto modo bipartito, Dialecticam secant, & logicam vnà cum topicis libris intelligunt, absurdißimè id faciunt. Nam artes tota natura, totoq; (vt aiunt) cœlo distinctas copulant, atq; vnam faciunt. Quis quæso non videat, aliud esse regulas formandorum syllogismorum tradere? & aliud argu-

menta

menta ſuppeditare, ſeu methodum proponere per quam, de omni propoſito problemate, ex veriſimilibus diſceptare poßit aliquis? aut an neſcire vllus poteſt, aliud eſſe modum conficiendi perpendiculi præſcribere: & aliud rurſus docere quomodo paries ad perpendiculum ſit extruendus. Ergo cum hæc ita inter ſe differant, legẽ noſtram iuſticiæ καθ' αὑτὸ violãt, quum quòd Dialectices non ſit, Dialecticæ faciant & heterogenea permiſceant.

Etſi autem hanc Dialecticæ diſtributionem inter latinos Cicero primus approbauiſſe videatur, quam ab eo fortaßè Boëtius mutuatus eſt, & quem deinde plurimi alij ſecuti ſunt. Excuſari tamen Cicero poterit, quòd eam à ſtoicis & academicis, quos in Philoſophia præcipuè imitatus eſt, deſump-

10. Prælectio 26. Martij.

desumpsisse existimari queat. Nam neutri ex iam nominatis Philosophis, propria à communibus seiunxerunt, aut necessaria à probabilibus separarunt ac discreuerunt. De academicis dubitare nullus potest, nisi idem ignoret, eos vnicuiq; liberum semper relinquere voluisse, imò præcipisse, vt ex contrarijs ac contradictorijs sententijs, vnusquisq; quam vellet, teneret & approbaret. Idcirco in vtramq; partem de omnibus disputabant, & tandem ἐποχῇ hoc est suspensione, disputationem finiebant nihilq; concludebant. Quod ad stoicos attinet, scribit de his Galenus in libro secundo de placitis Hippocratis & Platonis, capite tertio, eos nullam artem, neq; meditationem tradidisse, qua, scientiam parientem propositionem, à Dialectico & Sophistico distinguerent. Atq; ideo

in ipsorum libris, omnis generis propositiones, confusè nulloq; delectu habito, permixtas legi, propterea quòd ignorarent scientiæ effectricis sumptiones, ad rei de qua ageretur, substantiam referri.

Cæterùm si Dialectices nomen, Cicero ita vsurpauit, quemadmodum apud Aristotelem vsurpatur: & per iudicium intellexit scientiam, argumenti rectè collocandi, interrogandi, proponendi, celandi, & quæ his similia sunt, quæq; non alibi quàm in topicis libris, pertractata fuisse constanter negamus, haud perperam sensit prorsus, sed perperam ab alijs intellectus fuit. Quippe de tota arte quam hodiè vulgò logicam & organum appellant, locutum ipsum aiunt: idq; ex Aristotelis sententia factum fuisse iudicant: eaq; de causa libros Topicorum Auerroes, Aphrodiseus, Zabarella, Erastus.

rum

rum, partem logices vel Dialectices (sic illi logicam nominant) alteram ponunt, quòd vt sentiant vix rationes inueniant, cum ipsum ex academicorum & stoicorum sententia, de Dialectica disputauisse in confesso sit.

Deinde si ex Aristotelis sententia, ipsum de Dialectica locutum assumitur, nihilominus vitiosè ipsum sic diuisiße constat: quippè legem iusticiæ transgrediendo, diuersißimas res vnam posuerit. Ad hæc si per iudicium, argumentorum collectionem intellexisse alicui videretur, in eo rursus, contra legem primam erratum foret, videlicet quòd necessarios locos cum probabilibus miscuerit, & ex vtrisq;, argumenta, Dialecticum conquirere, eruere, proferreq; voluerit. Vnde & hoc sequitur, quòd illi

tunc

tunc grauius errauiſſent, qui per iudicium, rationem formandorum ſyllogiſmorum, propoſitionum, definitionum intellexiſſent, cùm ipſe potius de locorum inuentione & collocatione intellexerit.

Poſtremò ſi per Dialecticam ſolam, diſſerendi integram artem dicatur intellexiſſe, cum Ariſtotele Cicero, ac ad imitationem Rhetorum, iudicium pro diſpoſitione poſuiſſe putetur. Non tamen errore vacat ſententia, ſequitur enim & illinc ſecundum incommodum. Numerat enim tunc inter Dialecticos locos, definitionem, & ab ea petere argumentum Dialecticum iubet. Hoc autem cum propoſito Dialectici pugnat. Nam peripateticus ſiue Ariſtoteleus Dialecticus, non vtitur in argumentando definitionibus veris. Si enim hoc

faciat, non ex verisimilibus aut communibus, sed ex necessarys & propriys argumentaretur, quòd non est ipsius, sed demonstratoris, vt supra traditum. Ergo non immeritò Aristoteles, in libro περὶ ἑρμηνείας *quæstionem, qua quid sit res, siue qua definitio quæritur, non esse Dialecticam asseueranter ait. Et rationem hanc addit, quia negetur hîc facultas* πότερον, *id est vtrumlibet, respondendi, quòd Dialecticæ quæstionis esse proprium frequenter dixit, vt taceam definitionem aliquam, vel principium, vel conclusionem esse demonstrationis, vel positu solum ab ea distare, vnde Dialectices minimè esse poterit, quod conficitur, si vel est inuentionis, vel iudicij partium (vt volunt) Dialectices, & non logices.*

Sed profectò mirari nemo satis

poterit,

poterit, cùm viros alioquin præstantißimæ doctrinæ, docentes audiat, Aristotelem in topicis definitionem vt locum proposuisse, ex quo argumenta eruat dialecticus. Hinc concludere definitionem tanquam locum, pertinere ad inuentionem. Quod quidem vt nullo modo simpliciter concedendum erit, ita non sequitur: licet propositiones quædam, de definitione contineantur in Topicorum libris: quales sunt. Cui non conuenit definitum nec definitio: item cui definitio congruit, ab eo non potest definitum auferri, & quæ his similes aliæ repeRiuntur, definitionem ibi locum esse. Nam illis regulis nihil docetur aliud, quoties monstrare aliquid studemus, quàm definitionem propositam, bonam, & concinnam esse, vel non esse: nec etiam sequitur cùm aliquis has

propositiones & quasi regulas nouerit, continuò eum genus & differentiam, cuiusq; rei perspicere, aut eò facilius ac melius, rem propositam definitione explicare valere. Qua de re vt veram sententiam teneatis, & definitionem non esse inuentionis sciatis, accipiendum est Aristotelem in topicis minimè docuisse construere definitiones. Hoc enim ad logicam pertinet, scilicet leges definiendi præscribere: quod in libro, 2. analyticorum, Aristoteles pro more suo eruditissimo præstitit. Cùm in topicis tantum doceat, quo pacto communibus rationibus definitio quælibet, vel probetur vel confutetur. Si enim apud Dialecticum incidat definitionis alicuius mentio, aut aliàs oratio talis proponatur, quæ videri possit definitio: mox interrogabit aduersarium,

vtrum

vtrum propositam orationem definitionem, esse credat eius rei, cuius esse dicitur definitio, aut non credat, & num bonam ac legitimam esse iudicet, nec ne iudicet. Si affirmet aduersarius, locos à genere, proprio & accidēte adferet, (nam accidentis loci aliquid simpliciter inesse, vel non inesse ostendunt.) Quòd si aliquid hoc modo non insit, (nec vt genus quidem aut proprium inesse poterit) definitionis locos congeret, quibus aut non esse omninò definitionem, aut vitiosam esse probet. Si verò neget, rursus, ex dictis, vel omnibus, vel aliquibus, argumenta promet, quæ commodam esse definitionem declarent.

In summa, per definitionem concluditur non probabili, sed planè necessaria & immutabili ratiocinatione. Atq; hanc esse definitionis iustæ vir- 11. Prælectio. 29. Martij.

 tutem

1 tutem discimus, vt primùm causas
omnium, quæ definitum per se & ne-
2 cessariò expediant, indicet. Deinde
vt quomodo ad ea quæ obijci possunt,
respondendum videatur, monstret.
3 Postremò, vt vnde dubitandi occasio-
nes de re qualibet natæ sint, ostendat.
Verùm si totos topicorum libros perle-
gas, necessarias & hoc pacto propri-
as rationes, Dialectico præscribi non
reperies, vnde qui tales propositiones
ad Dialecticum pertinere credit, is
quæ Aristoteles & peripatetici de ista
re scripserunt, sanè non considera-
uit, quòd ne quis ignoret, ipsum Aris-
totelis textum attentè consideret. Atq;
interpretum doctiorum omnium, præ-
sertim Aphrodisæi & Zabarellæ
commentarium inspiciat. Plura in-
commoda ex ista nominum logices &
Dialectices confusione exorta, recen-
sere

ſere non libet: cùm ex his paucis, certè qui non delirat, aut ſtudio contentionis gloriarumq́, indiſsimulanter falſam ſententiam defendere conſtituit, promptè confitebitur, primum magnum eſſe logices, Dialectices, & demonſtratiuæ ſcientiæ diſcrimen. Deinde vix aliquem vnquam, abſq́ hac nominum diſtinctione, vim & naturam demonſtrationis atq́ ſyllogiſmi Dialectici intellecturum eſſe, de quo ſatis dictum eſto, vt iam de quarto aliquid dicere poſsimus.

CAPVT QVARTVM.

CVm maximè è re ſtudioſorum ſit ſcire, quo pacto ex finis notione logica adinuenta ſit, breuiter & dilucidè in hoc quarto capite id tentabo explicare. Quum omnes artes à

fine & propter finem excogitatas fuisse, superius à me dictum sit. Quæri iam potest, quisnam ille sit finis, cuius gratia, logica, quæsita inuentaq; credi debeat. Ad hanc quæstionem responderi facilè poterit, si cogitetur id quod res est, logicam non res docere, sed circa orationum constitutiones quasdam versari. Non enim tractat vel medicas res, vel Physicas, vel Mathematicas, vel Ethicas, quod nemo non videt: Sed tota est occupata in formanda oratione, quatenus ea ad veri dijudicationem, & ignotarum rerum inuestigationem vti soleamus. Hunc igitur cum talem habeat finem propositum, inquirendum fuerit accuratius adhuc, qualemnam characterem, seu quam formam orationi imprimat insculpatué logica. In oratione desideramus tria. Primum, congruita-

tem

tem & perspicuitatem. Deinde, ornatum, splendorem & copiam, et quæcunq; delectare, permouere & quò volumus, flectere auditorum animos possunt. Postremò, vim quandam persuadendi verum: & quidem talem, vt eandem sine errore aliquo consequamur. Hæc tria si absq; arte præstare & consequi sic possemus, vt errorem nullum timendum nobis sciremus, artem adhuc nullam requisiuerimus. Etenim vt ita loquamur danicè sicut parentes, & ij, quibus cum viuimus, loquuntur, sine arte assequimur. Quo circa artem hic nemo cupit. At qui vel melius, vel aptius, vel alia lingua loqui desiderat, magistro, vel obseruatione, vel arte, hinc nata habet opus. Vnde vt perspicuè, & congruè, significanter, ac vsitatè animi sensa exprimere

eloquiq; poßimus, inuenta est grammatica. Alteras orationis qualitates, affectionesq; pleriq; Rhetoricæ ascribunt: logicæ profectò nemo vnquam sanus tribuere ausus fuit. Restat itaq; vt logica propterea sit excogitata, vt orationis constructionem eam doceat, quæ ad dubiarum rerum cognitionem, inquisitionemq; necessaria sit. Hic ergo finis est logicæ, regulas tradere constituendi orationes, quarum, ad inuestigationem dijudicationemq; veri, vsus est necessarius. Atq; hoc sufficit de quarto.

finis logicæ

CAPVT QVINTVM.

ARistoteles cùm libros logices scriberet, logicamq; ad artem reuocare statuisset, finem sibi proposuit ipsum videlicet, scire, siue huius notionem.

*tionem. Verùm cum per demonstra-
tionem dicerentur homines aliquid
scire, & ut ipse in I. Posteriorum, ca-
pite secundo: asserit, demonstratio
constituenda ei erat, de qua quoniam
dubitare aliquis potuit, an ne talis de
monstratio rerum, rectè constitui aut
excogitari possit, ideo statim, quan-
doquidẽ demonstratio quatuor habeat
quæstiones, sicut & unumquodq́;
ἐπιστητὸν videlicet εἰ ἔστι, ὅτι ἐστὶ, τί ἐστι, τὸ
διότι: in primo capite esse demonstra-
tionem & quidem ἐπαγωγικῶς, ut pro-
positum suum obtineat procedit, in
omnibus nimirum modis sciendi sci-* 12. prælec-
licet syllogismo, enthymemate indu- ctio 30.
ctione exemplo, simili & in omni ge- die Mar-
nere ἐπιστητῶν tam speculatiuè quam tij.
*practicè, & tam ἐπιστημονικῶς quàm
ἐνδόξως, quibus confirmat quæstionem
εἰ ἔστι & negantium opinionem refu-
tat.*

tat. Sed vt commodè obtineat ſuum propoſitum, generalem præcognitionem, omnibus communem infert, nimirum de quacunq; re aliquid præſciendum eſſe, vel enim quòd ſit: vel quid quod dicitur ſignificet, vel etiam vtrumq; ſimul. Non enim omnia accipere poſſumus à docente, ſed aliqua ſunt quæ quaſi ſuppetias ad docendum, domo adferre oporteat, diſcimus enim ædificare, ſed non antequam quid lapides, aut quid materies eſſet, nouiſſemus. Vnde diſcimus omnia, quæ de qualibet re ſcire, aut neſcire, vel in dubium vocare homines poſſunt, quatuor quæſtionibus contineri. Nempè, an ſit, quid ſit, qualis ſit, & cur ſit. Per primam quæſtionem quæritur hoc, an res extet, ſiue in rerum natura exiſtat. Per ſecundam cuiuſq; rei natura, eſſentia ſiue definitio inquiritur.

Ariſtoteles in 1. capite, 2. poſteri.

tur. Per tertiam de affectionibus, quæ in re aliqua inſunt, interrogamus. Per vltimam, cauſam poſtulamus, propter quam, tales in qualibet re proprietates inſint. Per haſce quæſtiones inquam, prædicta quærimus, non modò cùm accuratam & certam rerum ſcientiam perinueſtigamus: verumetiam cùm probabilem noticiam venamur, quæ res vt fiat clarior, exemplo declaranda eſt. Peccatum igitur ſumamus, de quo primum quæri ac dubitari hoc poteſt, vtrumne huiuſmodi defectus vel morbus extet, de quo nomen hoc effertur, vel an imaginatione ſolum conſtet, ſicuti Chimera & Hippocentaurus. Deinde quæ ſit eſſentia peccati, quæritur. Tertiò num ſit corporis accidens, an etiam animæ: num perpetuò dominetur, vel etiam certis temporibus diſ-

tingua-

tinguatur, an in omnes homines extendatur, & quæ huius generis alia sunt complura, interrogariq; poterunt. Postremò, cupimus etiam caussam horum, & similium cognoscere. Quæ si omnia perceperimus, nihil nos latere ex omnibus illis meritò putamus, quæ de peccato sciri possunt. Hæ quæstiones licet quatuor sint, possunt ac solent tamen, duobus in genere modis explicari, scilicet definitione, sub qua descriptionem quoq; intelligere debetis, & Syllogismo tum Dialectico, tum demonstratiuo, ac definitione quidem secundam quæstionem, syllogismo verè reliquas tres, declaramus. Atq; hæc est summa prioris capitis, nisi quod in contextu, 4. 5. & 6. respondeat ad cauillum Menonis & aliorum Sophistarum, ex qua cum nondum occasionem, cur de

de nostris legibus egerit, percepimus, restat vt & secundum ac tertium caput similiter examinemus. Cùm itaq; in primo capite, hoc modo demonstrationem constituisset, quæ nihil aliud est, quàm syllogismus scientiæ effector: coactus est in secundo capite, hoc repetere & primum caput diligentius munire, quòd quidem in secundo capite facit, cuius summa ac ἀνάλυσις hoc fere Enthymemate concludi potest. Scientia quæ nihil aliud est quàm immutabilis noticia causæ, propinquæ & veræ, per Syllogismum gignitur demonstratiuum. Ergo necesse est, vt demonstratio seu demonstratiuus syllogismus constet ἐξ ἀληθῶν, καὶ πρώτων, καὶ ἀμέσων καὶ γνωριμωτέρων, καὶ προτέρων καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος: hoc est ex veris, primis, medio carentibus, notioribus &

causis

causis conclusionis. Atq; hæc sunt huius secundi capitis, quod totius huius methodi præcipua pars, & quasi propositio existit, membra: quæ postea vsq; ad 16. caput, tam copiosè et fusè explicat, vt vix aliquid præterea desiderari poßit. Nunc ergo vt iam studiosi intelligant, quod proponere volo, omnia in hanc summam contraham, nimirum cùm Philosophus cap. 2. cum quo tertium cohæret, docuisset γένεσιν demonstrationis: ex qualibus scilicet propositionibus, demonstratio conficiatur. Ideo in hoc capite (Auerroe teste) leges, idest modos, conditiones siue gradus quosdam præscribit, qui summè necessarias & ad demonstrationem accommodatas, efficiunt propositiones: & ita quidem, vt substantia demonstrationis fiat summa neceßitas, hoc est, vt conclusio siue scientia,

NB...



ſcientia, quæ demonſtratione acquiritur, ſummè ſit neceſſaria, ſemper & vbiq; & de omni vera ideoq; æterna. Quare vt concluſio talis ſit, neceſſe eſt etiam tales eſſe propoſitiones, ex quibus concluſio illa colligitur. Atq; hæc eſt occaſio cur Philoſophus de his legibus egerit, ex qua iam perſpicuum euadit ſextum caput, videlicet quomodo noſtræ leges deſcribi poſſunt.

SEXTVM CAPVT.


Vnc ordinis ratio poſtulat, vt in hoc capite deſcribantur leges noſtræ, generaliter et coniunctim: quæ nihil aliud ſunt, quàm veræ & infallibiles normæ, perſpicuè iudicandi, in quibus propoſitionibus, prædicatum cum ſubiecto ſuo, æterno &

insolubili nexu cohæreat. Definitio est bona, quia essentialis videlicet formæ & materiæ. Forma est ipsa norma & Materia seu obiectum circa quod, connexio subiecti & prædicati. In qua primum dixi, esse veras & infallibiles normas, quia cognitio vel norma, qua, aliquid cognoscimus, non est simplex, sed triplex Nam
1 quædam necessaria est, stabilis & im-
2 mota, quæ fallere nequeat. Deinde alia est fluxa, adumbrata, incerta & opinabilis tantum, quæ sæpè
3 decipere solet. Tertia vero est notitia quædam de rebus non vera, sed apparens tantum, seu fucata & quæ vix notitia vocari poßit, vt igitur excluderem duas posteriores, ideo infallibilem dixi, quòd nimirum fallere nequeat. Deinde addidi cum subiecto suo æterno & insolubili nexu, vt

nimirum

nimirum inter caducas & perpetuas propositiones discernerem, quarum illæ ingrediuntur in demonstrationem, hæ minimè: dicuntur autem perpetuæ propositiones, quarum integra atq; inuiolata manet omni tempore veritas. Cuiusmodi sunt necessariæ, in totum generales. Nam si generales ex parte fuerint vel singulares, quandoquidem res singulæ oriantur atq; intereant, idemq; partibus accidit, iam sunt caducæ. Vt enim omnem hominem esse rationis siue ridendi facultatis, participem, perpetuum est: sic vel quendam hominem, vel Petrum aut Iohannem, talem esse, caducum. Nam & quidam homo, vt Paulus vel Petrus, si iam non olim perijt, aliquando tamen peribit. Ergo si iam tenetis quæ propositiones in totum & quæ ex parte generales vel

13. Prælectio 1. Aprilis.

ſingulares, item quæ perpetuæ & quæ caducæ: facilè etiam, quæ æterno & inſolubili nexu cohæreant, hoc eſt quæ ſummè neceſſariæ ſunt intelligitis, ac quum de definitione generali ſatis dictum eſt, reſtat vltimum.

CAPITIS VLTIMI. PERIOCHA.



Voniam omnis propoſitio ex ſubiecto aliquo & prædicato, connectitur: ſcire oportet prædicatum in demonſtrationum propoſitionibus, non contingenter, ſed verè per ſe & reciprocè de ſubiecto prædicari: ideò in hoc capite quarundam vocum affectionem ac ſignificationem explicat, ex quibus quid maximam in propoſitionibus neceßitatem faciat, intelligere poſſumus.

PAR-

Huius capitis partes principales ac primariæ ſunt duæ. Prima eſt bimembris, cuius primum membrum eſt, Πόρισμα, ex ijs quæ tradita ſunt in 2 capite, ad leges ſanciendas. Secunda vero, vt leges vel conditiones tres ſunt: ita & illa in tres partes alias, docendi gratia commodè diſtribuitur, quarum prima, primam continet legem, ſecunda ſecundam, tertia tertiam, &c.

DE PRIMA PARTE,
ita habet Textus.

Ἐπεὶ δ' ἀδύνατον ἄλλως ἔχειν, οὗ ἔστιν ἐπιστήμη ἁπλῶς· ἀναγκαῖον ἂν εἴη τὸ ἐπιστητὸν, τὸ κατὰ τὴν ἀποδεικτικὴν

Qvandoquidē illud cuius ſcientia eſt ſimpliciter, aliter ſe habere non poteſt, quâm ſimpliciter, ſequi-

ἐπιστήμην. ἀποδεικ-
τικὴ δ' ἐστὶν, ἣν ἔ-
χομεν τῷ ἔχειν ἀπό-
δειξιν. ἐξ ἀναγκαίων
ἄρα συλλογισμός ἐστιν
ἡ ἀπόδειξις.



tur neceſſarium eſ-
ſe. Illud quod ca-
dit ſub demonſtra-
tiuam ſcientiam:
Demõſtratiua au-
tem eſt quam ha-
bemus propter de-
monſtrationẽ. De-
monſtratio igitur
eſt ex neceſſarijs.

Ἐξήγησις πραγματική.

*D primum quod attinet membrum, quemadmodum ſuperius capite 2. contextu 8. ex definitione ſcientiæ collegerat: omne illud quod ſimpliciter ſcitur, id aliter ſe habere non poſſe, puta quàm ſimpliciter, neceſſariò & immutabiliter: ita nunc & hoc conſectarium ex eo infert: etiam illud quod demonſtratione ſcitur, cùm ſimpliciter, vt ex 2. capite liquet,*

liquet, sciatur, aliter quoq; se habere non posse, sed simpliciter necessarium & immutabile esse, ac proinde demonstrationem præmißis necessarijs constare. Sic autem argumentatur: illud de quo simpliciter est scientia est necessarium. Hoc autem non est aliud quam conclusio. Ergo conclusio demonstrationis est necessaria. Hinc colligit, necessarium non potest sciri nisi ex necessarijs. Sed conclusio est necessaria & scitur propter aliud, videlicet præmissas. Ergo præmissæ propter quas scitur conclusio, etiam sunt necessariæ. Maiorem vltimi syllogismi probo, propter quod vnumquodq; est tale, illud magis est tale, sed conclusio cognoscitur necessaria propter præmissas necessarias. Ergo præmissæ magis sciuntur, & sunt magis veræ et necessariæ quàm conclusio.

Ληπτέον ἄρα ἐκ τίνων καὶ ποίων αἱ ἀποδείξεις εἰσὶ· πρῶτον δὲ διορίσωμεν τί λέγομεν, τὸ κατὰ παντὸς, καὶ τί τὸ καθ' αὑτὸ καὶ τί τὸ καθόλου.



Videndum igitur nobis iam erit, ex quibus & qualibus propositionibus, demonstrationes conficiantur. Qnod vt fiat primum explanabimus, quid ſit illud quod vocemus de omni & quid per ſe, & quid vniuerſale.

ALterum membrum primæ partis, continens propoſitionem tractandorum, in hoc capite. Quum autem ſeſe ita habeat, præmiſſas demonſtrationum debere eſſe neceſſarias, propter quas concluſio reputatur neceſſaria, agite, iam conditiones tres menti ſubijciamus, quæ animum tanquam leges ad examinandam & di-

iudi-

iudicandam talem necessitatem, obligabunt, quarum vnaquæque quid sit, planum faciemus. Ex hoc loco & præcipuè ijs verbis, ἐκ τίνων καὶ ποίων αἱ ἀποδείξεις εἰσὶ, *ex quibus & qualibus propositionibus, demonstrationes conficiantur. Obseruare licet, cùm Aristoteles, in his libris saltem de demonstrationum propositionibus agat, quibus has tres leges, tanquam certa* κριτήρια *accommodauit, contra mentem Aristotelis, alium eos, his legibus sensum affingere, qui eas ad methodum in omnibus artibus & disciplinis aptent. Quandoquidem aliud est totam artem tradere, aliud concludendo aliquid demonstrare: & aliud præterea subiectum materiale. (Auerroe docente) & aliud formale, & licet materiæ artium, competere possunt aliquo modo hæ leges: for-*

mæ tamen quæ longè aliud eſt in demonſtrationibus Syllogiſticis, quàm in Grammatica, Muſica, aut reliquis diſciplinis minime conueniunt. Nam forma demonſtrationum nihil aliud eſt, quàm conſecutio bona ex præmiſſis, rectè ac legitimè illata, vnde non ſine re, hniuſmodi bona connexio ſubiecti & prædicati, imò totius ſyllogiſmi apud Hæbreos vocatur, miſchpat: dicunt enim. Prædicatum & ſubiectum, ſimul vocantur iudicium. Quòd procul dubio ex forma faciunt, qua, cùm de veritate tum de neceſſitate quæ in ipſa materia eſt, iudicium inſtituatur: Grammatices vero Dialectices ac Rhetorices forma, rarò aut nunquam eſt Syllogiſtica, ſed tantum πραγματικὴ, id eſt, præcepta tradens, quæ vix vnquam ita ſuut καθόλου, quin excipere poſſis. Præterea cum

Ariſto-

Aristoteles hîc expresse loquatur, de substantia & qualitate propositionum ex quibus demonstrationes fiant, minimè fieri posse existimo, vt conueniant hæ conditiones ijs artibus, quæ hanc formam habere nequeunt, quod cum verum sit, vel necesse est, vt literam Philosophi sequamur, vel hunc versum omnino expungamus. Vt prætereamAlbertum qui in reparatione logices, nominat has leges, speciales conditiones, principiorum demonstrationis. Atq; hoc dictum esto de prima capitis huius parte. Nunc autem dicemus de secunda. Quia in hac secunda parte docendi gratia, primum membrum feci primam legem, nunc inspiciemus textum in quo ita describitur.

Καὶ

ΚΑὶ κατὰ παντὸς μὲν οὖν τοῦτο λέγω, ὃ (ἂν μὴ ᾖ) μὴ ἐπί τινος μὲν τινὸς δὲ μή: μηδὲ ποτὲ μὲν, ποτὲ δὲ μή: οἷον εἰ κατὰ παντὸς ἀνθρώπου ζῶον, εἰ ἀληθὲς τόνδ' εἰπεῖν, ἄνθρωπον, ἀληθὲς καὶ ζῶον. καὶ εἰ νῦν θάτερον, καὶ θάτερον. καὶ εἰ ἐν πάσῃ γραμμῇ στιγμὴ ὡσαύτως. σημεῖον δὲ, καὶ γὰρ τὰς ἐνστάσεις οὕτω φέρομεν ὡς κατὰ παντὸς ἐρωτώμενοι, ἢ εἰ ἐπί τινος μή, ἢ εἴ ποτε μή.

SEd de omni quidẽ id voco, quod vtiq; sit non in aliquo quidem in aliquo vero non: neq; interdum quidẽ, interdum vero nõ: (vt puta) si de omni homine dicitur, animal, vbi si verè dicitur, hunc eſſe hominem, verè etiam dicitur eum eſſe animal: etſi nunc alterum eſt verum, alterũ ſimiliter quoq; eſſe verum. Etſi in omni linea eſt punctum, eadem ratio. Verum huius rei ſignum eſt, quoniam inſtãtias ita ferimus de omni, interrogati videlicet, quod alicui non ineſt, vel quod interdum nõ ineſt.

Ἐξῆ

IN hoc primo membro secundæ partis, antequam descendam in explicationem rerum, duo occurrunt consideranda, quæ maximè faciunt ad legem intelligendam. I. est cùm Philosophus in 1. cap. contextu 1. libri priorum, superius egerit de omni & nullo, cur iam replicet de omni, vel an inter hæc duo παντὸς, quorum vnum est prioristicum, alterum posterioristicum aliqua sit differentia. Ad hoc respondeo breuiter, nostrum κατὰ παντὸς, à prioristico maximè differre videlicet quòd in illo, temporis perpetuitas non requiratur, sed solum subiecti vniuersitas: nostrum vero postulat temporis vniuersitatem, quia sine hac, nulla esset

in propositione necessitas. II. Nostrum requirit materiam, vna cum perpetuitate, illud solum respicit formam. III. Nostrum sæpe vnica est præpositio, illud integer syllogismus. Alterum vero considerandum est ratio ordinis, cur nimirum Philosophus præposuerit, κατὰ παντὸς καθ' ἁυτὸ & hoc καθόλου. Ad hoc respondeo rationem ordinis, perpetuò efflagitare communiora esse priora, cùm autem κατὰ παντὸς sit communius quàm καθ' ἁυτὸ, sequitur quòd & prius: Vbicunq; enim est καθ' ἁυτὸ, ibi est κατὰ παντὸς sed non econtra. κατὰ παντὸς est: omnis homo est coloratus, esse enim coloratum conuenit omni homini & semper, sed non καθ' ἁυτὸ cùm prædicatum non sit de ratione subiecti, vel vice versa. Deinde καθ' ἁυτὸ etiam plus habet in se, id est communius

nius

nius est, quàm καθόλου: hoc est enim. καθ' αὑτό: omnis homo est animal, sed non καθόλου πρῶτον, quia non conuenit πρώτῳ isti subiecto, id est, non reciprocatur cum eo, nisi addantur plura, non enim sequitur, homo est animal: Ergo animal est homo, potest enim esse bos, equus, ouis, auis, &c. Verum nulla inuenitur propositio, quæ quatenus sit καθόλου πρῶτον, nõ etiam sit κατὰ παντὸς καὶ καθ' αὑτό: Vt ista homo est risibilis, est καθόλου, κατὰ παντὸς, καὶ καθ' αὑτό. Sed de omni id voco, καὶ κατὰ παντὸς μὲν οὖν τοῦτο λέγω.

Antequam definitionem Philosophi explicabo, faciliorem hanc descriptionem præmittam, ex qua altera intelligi potest. Id κατὰ παντὸς est, seu id prædicatum conuenire dicitur omni subiecto, quod omnibus subiecti

partibus

partibus conuenit, idq́ semper. Sic calor igni omni inest. Neq́ enim vllam ignis partem reperies, cui non semper calor adsit. Sic albor, λευ̃κον in omni niue dicitur, quum nulla niuis pars atra vnquam fuerit, aut non candida. Sic carbo omnis ater pronunciatur, quod nulla carbonum species (quod sciri poßit) extet, quæ aliquando hunc colorem præ se non feret, sic homo peccator & mortalis, quando nemo vnquam post lapsum Adami, iuxta conditionem naturæ natus, vel iustus vel immortalis repertus est. Sic diabolus malus & impurus, quia nemo vnquam quatenus diabolus est, bonus & purus extitit, &c. His præmißis iam obseruate, quid faciat Aristoteles, qui primum definit κατὰ παντὸς, & definitionem declarat exemplis. Deinde eandem

dem argumento τῆς ἐνςάσεως, vel ſyllogiſmo διὰ τοῦ σημείου probat. Definitio autem talis eſt, κατὰ παντὸς dico quod non in aliquo, in aliquo non eſt. Partes definitionis duæ ſunt. Prima pars hæc, cuius ſenſus eſt. κατὰ παντὸς, eſt quando prædicatum ineſt ſubiecto, pro quolibet eius indiuiduo. Sequitur autem. μηδὲ ποτὲ μὲν &c. Altera pars, quæ docet per aduerbium temporis ποτὲ, etiam prædicatum debere ineſſe ſuqiecto, pro qualibet differentia temporis, ideſt omni tempore debere ſubiecto conuenire. Οἷον εἰ, κατὰ παντὸς ἀνθρώπου. Exemplis declarat definitionem, ac duo adfert. Primum, Omnis homo eſt animal, in hoc exemplo, ſicut verùm eſt dicere, hoc vel hoc, id eſt Iohannes vel Petrus eſt homo, ſic rectè concludis, ergo eſt animal, & ſicut ſine errore

dicis respectu temporis, nunc aliquid est homo, sic sine errore concludis, ergo nunc est animal.

Secundum, In omni linea est punctum, id est punctum de linea dicitur, quia omnis linea semper punctum habet.

Ex hac definitione, discimus duas conditiones requiri, ad illud quod in aliqua propositione debeat esse κατὰ παντὸς, seu ad primam legem nostram, quarum vna est vniuersitas subiecti & omnium suppositorum, quæ comprehenduntur in subiecto generali. Altera est vniuersitas temporis, vel omnium temporum, vnde consequitur ex analogia subiecti & prædicati, videlicet quòd quando prædicatum ad subiectum, ita sese habeat, vt omni supposito subiecti insit & præterea omni tempore, tunc

propo-

propoſitio erit κατὰ παντὸς, & prædi- catio neceſſaria. Quod enim omni tempore ſe habet, illud eſt perpetuum & neceſſarium, vt animal homini omni, ſemper ineſt, ergo eſt prædicatum homini neceſſarium. Sic nigrum omni coruo ineſt, & ſemper id prædicatum illi neceſſarium. At inquies cur dicis vniuerſitatem illam requiri? Reſpondeo. Quia demonſtratio rerum eſt perpetuarum, & eum qui ſcientiam rei tenet, omnino ἀμετάπτωτον vt Ariſtoteles ait, eſſe oportet. Sed iam σαφηνείας gratia, plura perſpicua huius legis exempla adducemus, vt caligo obſcuritatis omnis, ab oculis diſcentium diſcutiatur. Sint igitur duplicis generis exempla, & primum contra legem pugnantia. Deinde ex præceptis legis extructa; atq; hæc prioris generis ſunt: omnes ſacerdo-

tes Cælibes per Europam degunt: hoc autem verum fuit, ante aliquot annos: sed tamen in hoc exemplo à subiecto, multa supposita excipere potes, nempe Bohemicos sacerdotes, qui non erant Cælibes, peccatur ergo. I. in vniuersalitate subiecti: Deinde non semper verum fuit. Non enim omnibus temporibus cœlibes erant. Ergo licet hoc exemplum aliquando verum esse potuit: tamen nunc est falsum, neq; olim verum. Nam in veteri testamento, sacerdotes erant coniugati & mariti, quemadmodum ex libris Mosaicis colligere licet, non igitur hoc exemplum est κατὰ παντός. Sic hoc omnes principes & ciuitates, pecuniam dare oportet, ad Turcicum bellum gerendum. Hoc tametsi verum esse oporteat, & iam verum esse debet: tamen neq; nunc est necessa-

rium

rium vt sit perpetuum, neq; de omni subiecto dicitur. Nam multi germaniæ principes, se facilè inde subtrahere possunt. Omnes senatores regni Daniæ sunt Hafniæ: licet enim hoc verè de omnibus regni Daniæ senatoribus dicatur: abest, tamen perpetuitas temporis, cùm iam hîc sint, paulò post alibi futuri: quò fit vt vera quidem talis propositio esse possit, non tamen necessaria, cùm aliter se habere poterit. Posterioris autem generis hæc sunt, quæ 'ανένσατα esse oportet, quæq; insuper nulla re nulloué tempore refelli possunt. Vt omnis homo est animal, quod semper verum fuit, estq; & erit in sempiternum quàmdiu genus humanum extabit. Omnis buxus est arbor, omnis homo iustificatur fide in Christum, sic coruus niger est, Cygnus albus, quæ

Vrm pea.

omnes κατὰ παντὸς sunt, quia vniuersitatem omnium suorū indiuiduorum, cum ipsa omnium temporum vniuersitate habent: Nunquàm enim à condito mundo, tempus vllum extitit, in quo non buxus arbor fuit, aut hominem non per fidem iustificatum, quatenus iustificatus erat. σημεῖον δὲ καὶ, id est, huius rei signum, &c. Has duas conditiones ad primam legem pertinere, non plures nec pauciores, à modo quo instantiæ feruntur, probat. Quando enim pronuncianti aliquam propositionem, tanquam κατὰ παντὸς existentem, obijcere volumus non esse κατὰ παντὸς, nihil aliud dicere solemus, quàm, duorū alterū, vel in aliquo subiecto illud prædicatū non inesse, vel aliquo tempore non inesse.

16. Prælectio. 19. Aprilis.

Vt si asserenti alicui κατὰ παντὸς, esse hanc propositionem. Omne corpus

pus naturale mouetur: opponamus dicentes, vel non omni corpori naturali inesse motum, vt toti terræ & polis, vel non semper, quum partes terræ vel lapides non semper moueantur, vnde rectè dicis, quòd prædicta propositio, non sit κατὰ παντὸς: Quemadmodum nec ista, ex qua, sic potest inferri, homo est doctus, sed illi & illi sunt homines. Ergo docti. Respondis, maior propositio non est κατὰ παντὸς, prædicatum enim non inest subiecto, pro omnibus eius suppositis, neq; est necessaria prædicatio, sed est materiæ contingentis, quæ aliter se habere potest, falsum igitur quod colligitur. Dicit insuper Philosophus, quòd dum instantias ferimus, modo subiecti, modo temporis vniuersitatem respicimus, atq; ita negamus vel approbamus, quod vel concluditur

vel proponitur. Existimo satis à me explicatam primam legem, de cuius vsu nunc paucis dicetur.

DE GENERALI VSU OMNIVM HORVM

TRIVM GRADVVM SVPERIus aliquid à me dictum est. Nunc autem specialiter de singulis dicetur, & suo loco de reliquis.

DE PRIMO VERO NVNC.

IN artibus inquit, quidam doctissimus vir, describendis, duo spectari debent, Materia scilicet & forma. In materia videndum, vt omnia Theoremata sint κατὰ παντὸς, *hoc est omninò necessarioq́ vera, quæ lex veritatis est. Ex quo secundum eum, vsus huius primæ legis, erit in*

forman

formandis artibus, vt omnia artis Theoremata ſint omninò neceſſarioq́ vera, & Catholica. Hunc vſum generalem nimis & contra mentē Ariſtotelis, omnibus artibus & diſciplinis accommodatum, in parte prima, membro ſecundo, ex ipſis verbis Philoſophi euicj. Ne itaq́ actum agamus, ex Ariſtotelis intentione, verum huius legis vſum, hunc ſtatuo eſſe, qui verſatur in ἐπισκέψει conſtructionis demonſtratiuæ ſcientiæ, & eius concluſionis, cuius materia eſt neceſſariarum rerum & vniuerſalium, cap. 6. 1. poſterio: & cui materia fortuitarum rerum & ſenſilium cap. 24. opponitur, ex qua materia, Dialecticus & Sophiſticus contexitur ſyllogiſmus. Atq́ hunc eſſe huius legis verum & proprium vſum, conuincunt omnia ſequentia capita,

 ad

ad finem vsq; primi libri, sed cùm iam huius primæ legis membra, satis superq; excussa sint, videbimus iam quid legislator noster iubeat ac requirat secunda sua lege.

SECVNDA LEX SEcundæ partis.

IN hac secunda lege explicanda tria faciam, primum contraham omnes quatuor huius secundæ legis καθ' ἁυτὸ, modos, in generalem descriptionem legis, quàm multis exemplis declarabo. Deinde, singulos modos perseitatis, apud Philosophum iustis explicationibus, exemplis ac differentijs persequar. Postremò de vsu, quomodo nimirum demonstrator vti debeat his, ostendam.

DE PRIMO.

Quæ



Væ per ſe dicuntur, etiam per ſe inſunt. V: G: vt ſpecies in indiuiduis, vt genus & differentia in ſpeciebus, pariter ac in indiuiduis, vt proprium in ſua ſpecie & ſuis indiuiduis, vt res effecta in cauſa, aut contrà cauſa in re effecta, vt deniq; conſequens in accedente aut econtra, ſi res patiatur.

Exemplum primi, ſic in Bucephalo & pegaſo equus. In Oribaſo & Dorceo canis. Exemplum ſecundi, in equo & cane, beſtia & ratione carere. Exemplum tertij, in equo ad hinniendum aptum eſſe, in cane ad latrandum. Exemplum quarti, in mollibus neruis, ſentiendi, in duris vero mouendi facultas, & viciſsim in ſentiendi facultate molles, in vi mouendi nerui inſunt duri. Exemplum

vltimi,

vltimi, in ea, quæ lactauit fuisse grauidam, & in ea quæ fuit pregnans & peperit, lactasse dicitur. Explicaui generaliter καθ' αὑτὸ *iam veniam ad singulos eius modos: ac de primo sic textus habet:*

Καθ' αὑτὸ δ' ὄυσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν, οἷον τριγώνῳ γραμμὴ, καὶ γραμμῇ στιγμή. ἡ γὰρ οὐσία αὐτῶν, ἐκ τούτων ἐστὶ, καὶ ἐν τῷ λόγῳ τῷ λέγοντι τί ἐστιν ἐνυπάρχει.

PEr se vero sunt, quæcunque insunt in attributione declarante quid est, vt triangulo inest linea, & lineæ punctum. Essentia enim ipsorum ex his est, & in definitione respondente ad quid est, hæc assumuntur.

17. Prælectio. 20. April. *Ne quod quidam arguunt in sermonis homonymiam, impingat Aristoteles noster, in hac secunda parte prædicationem, seu legem* καθ' αὑτὸ

æquis

*æquiuocam, primum in omnia ſua ſig-
nificata (vt teſtatur Auerroes, Com:
9.) diſtinguit. Deinde, modos ſeu
ſignificata vocis, neceßitatem ſum-
mam in propoſitionibus conſtituentis,
à reliquis ſecernit. Ad primum
quod attinet, quatuor ſpecies ſeu mo-
dos* καθ' αὑτὸ *enumerat, quorum pri-
mus ita deſcribitur:* καθ' αὑτὸ δὲ. *Hi
modi quodammodo pendent ex ſupe-
rioribus, ideſt, ex prima lege, cùm
enim ſuperius dixiſſet,* κατὰ παντὸς
μὲν, *in qua lege neceßitatem, quan-
dam conſtituit in propoſitionibus:
iam quaſi per correlatiuum* δὲ, *ſic e-
nim inquit* καθ' αὑτὸ δὲ, *ſubijcit maio-
rem inhærentiam neceßitatis, in hac
lege requiri, quàm in ſuperiore, &
longè maiorem* συγγένειαν *propoſitio-
num demonſtratiuarum, efflagitari
in ſcientia demonſtratiua. Quod vt*

intelli-

intelligatur, à summo vinculo demonstrationis, id probat ex primo nimirum modo perseitatis, cuius sensus hic est. καθ' αὑτὰ δὲ ὅσα ὑπάρχει, per se in primo modo est, quando prædicatum est in definitione subiecti, vt si dico: homo est animal, Platanus est arbor. Sed quid est prædicatum esse in definitione subiecti? Respondeo hoc nihil aliud est, quàm vel definitionem integram, vel partes definitionis singulas, verè & essentialiter prædicari de subiecto. V: G: homo est animal rationis particeps: hîc tota definitio, id est genus & differentia, in definitione hominis ponitur, vel verè & essentialiter prædicatur de homine, videlicet, quòd sit animal rationis particeps. Homo est animal, Platanus arbor, hic pars, videlicet, genus ponitur in definitione hominis,

illud

illud in Platani. Sic differentia, homo est rationis particeps, &c. Ad hunc primum modum duplex conditio necessaria ex definitione, indicatur: Prior, vt prædicatum subiecto, reipsa insit, proinde sit prædicatio naturalis. Inest enim animal homini & latius patet quàm homo, & de eo prædicatur: non homo inest animali. Nam angustius est, quàm vt de eo dicatur. Ideo hæc propositio, animal est homo, non est καθ' ἁυτὸ quia non est naturalis, neq; directa & ordinata, sed indirecta, & inordinata. Nam inferius, essentiale prædicatur de suo superiori. Similiter nec ista, rationale est homo. Efflagitat ergo hæc prior conditio, propositionem naturalem. Posterior conditio, modum ὑπαρχέιν addit, quia ad necessariam propositionem, non sufficit

hic

hic naturæ ordo, qui etiam in contingentibus & accidentarijs locum habet: idcirco additur, vt prædicatum non tantum subiecto insit: verum etiam, vt de eo subiecto prædicetur, ἐν τῷ τί ἐστι, hoc est, vel sit eius definitio integra, vel pars definitionis, genus scilicet, vel differentia, siue proxima, siue remota. Vnde quinque sunt prædicata καθ' αὑτὸ primo modo, (vt ait Auerroes) definitio, genus proximum, genus remotum, differentia proxima, differentia remota.

ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν,
Quæcunque insunt in attributione.

Non dicit, quæcunque insunt in definitione, vt multi perperam intelligunt, sed dicit quæ subiecto insunt in quid, scilicet quæ essentialia sunt & συγγενῆ *subiecto.*

Οἷον

ὅιον τριγόνῳ.

Exemplis declarat quod dixit, vt quod triangulo ineſt linea, & lineæ punctum: id eſt, lineam triangulo ſubiectum, & punctum lineæ ineſſe & non tantum ineſſe oportet: ſed ita ineſſe, vt eſſentiam illorum conſtituant, ideoq́ in illorum definitione accipiantur, quod eſt, ἐν τῷ τί ἐστι ὑπάρχειν, *vt ſi interrogaueris Mathematicum, quid eſt triangulus, Reſpondet tibi, eſt figura quæ ex tribus directis lineis conſtat, & inſuper, Quid eſt linea? eſt magnitudo, quæ ex puncti profluxione in longum exiſtit. Hoc obſeruate, de triãgulo prædicatur non linea, ſed contineri lineis, neq́ prædicatur de recta linea punctũ, ſed terminari pũctis. Sic hæ veræ, iuſticia peccatoris coram Deo, eſt gratuita imputatio impletionis legis per*

Christum præstitæ, quæ gratis ex misericordia imputatur credenti. Item fides est fiducia de misericordia Dei &c. Falsæ autem & pugnantes cum hac lege, & primo præsertim modo, sunt hæ papisticæ definitiones: Iusticia Peccatoris est virtus seu animi qualitas, qua quis Deo, proximo, & sibypsi tribuit, quod est iure debitum, secundum præcepta legum debitaq́; officia, frater Sonnius Buscoducensis: Item iusticia est declinare à malo & facere bonum, Petrus Canisius. Hæ & similes in Synagoga Antichristi, quæ militat sub Romano Pontifice extructæ, sunt prorsus Ethnicæ & Legales, prouenientes ex ignorantia Euangelij, & non sunt ex subiecto, idest ipsa essentia iusticiæ, sed potius euertunt hanc essentiam, nullam videlicet mentionem facientes

cientes

cientes meritorum Christi & fidei. Quare, explodendæ vt falsæ & cum lege iusticiæ pugnantes. Heterogenea enim miscent & Christo debitum honorem furantur.

Ἡ γὰρ᾽ ȣσία ᾽αυτῶν.

COnclusio primi modi quæ monet definitionem debere constare ijs, ex quibus essentia rei constituitur, si debeat esse essentiæ significatrix. Colligis igitur hinc ad hunc primum modum, saltem genera & differentias substantiarum referri, quæ sunt causæ internæ & essentiales. Nam genus materiæ, differentia formæ rationem habet, & de definito per se primo modo enunciatur. Deinde quantum causæ internæ, externas excellunt, tantò reliquis sequẽtibus præstantior erit hic primus, cuius vsus in demonstratione primarius & maximus esse solet.

 Postre-

Postremò repete quod superius meminerimus, nimirum non omne quod prædicetur κατὰ παντὸς, *prædicari etiam* καθ' αὑτό. *Nam de omni cygno candidum prædicatur, quia & semper, & omni cygno candor inest, non tamen in eo quod est* καθ' αὑτό. *Sic & multa alia sunt, quæ non sunt definitionis partes, sed tamen omni rei omnibusq́ue eius partibus adiunguntur, vt illud: omnis virtus est laudabilis, hoc* κατὰ παντὸς *est, quamuis illa laus seu laudabilitas, in virtute definienda non soleat adhiberi, neq́ue est* καθ' αὑτό. *Sed iam de secundo modo sic legislator præcipit.*

Καὶ ὅσοις τῶν ἐνυπαρχόντων αὐτοῖς, αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι, τῷ τί

Deinde per se etiam insunt, quæ de attributis prædicantur in oratione declaran-

ἐστὶ

ἐστὶ δηλοῦντι. οἷον τὸ εὐθὺ ὑπάρχει γραμμῇ, καὶ τὸ περιφερές, καὶ τὸ περιττὸν καὶ ἄρτιον ἀριθμῷ, καὶ τὸ πρῶτον καὶ σύνθετον, καὶ ἰσόπλευρον καὶ ἑτερόμηκες, καὶ πᾶσι τούτοις ἐνυπάρχουσιν ἐν τῷ λόγῳ τῷ τί ἐστι λέγοντι, ἔνθα μὲν γραμμή, ἔνθα δ᾽ ἀριθμός. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, τὰ τοιαῦτα ἑκάστοις καθ᾽ αὑτὰ λέγω. ὅσα δὲ μηδετέρως ὑπάρχει, συμβεβηκότα, οἷον τὸ μουσικὸν ἢ λευκὸν τῷ ζῴῳ.

te, quid est: quemadmodum lineæ inest rectum & circumductum & numero par & impar, item primum & cõpositum & æquilaterum & altera parte longius: atq; hic omnibus inest in oratione quid sit, dicente, illic quidem linea, hic vero numerus. Similiter in aliis ea quæ sunt eiusmodi, singulis per se inesse dico. Quæ vero neutro modo insunt, accidentia sunt, vt musicum aut album inesse animali.

IN hoc secundo καθ᾽ αὑτὸ *modo duo facit Philosophus. Primum enim* 18. Prælectio, 23. die Aprilis.

determinat ea quæ dicuntur, hoc secundo modo καθ' αὑτὸ. Deinde ostendit, quæ sunt illa quæ dicuntur, secundum accidens quæque opponuntur huic secundo modo, sed de primo ita loquitur. καὶ ὅσοις τῶν ἐνυπαρχόντων. Deinde etiam per se, &c.

Id est Accidentia illa, in quorum definitionibus collocantur subiecta, per se inesse dicuntur ijs subiectis, quæ in definitione sumuntur, declarante quid sit. Vel breuius καθ' αὑτὸ, in secundo modo, est quando subiectum est in definitione prædicati, vt cum dico homo est risibilis, vbi in risibilis definitione homo ponitur, quia risibile definitur per homo. Est enim risibile, homo aptus, natus ridere. Vt enim in primo modo prædicatum est de essentia subiecti, id est homogeneum & non alienum, & propterea legitimè præ-

mè prædicatur de ſubiecto, ἐν τῷ τί ἐστι. (Nam in primo modo, ſubiectum abſq; prædicato definiri nullo modo poteſt.) Ita in hoc ſecundo, prædicatum definiri non poteſt, niſi mentio ſubiecti in illius definitione fiat: cuius ratio eſt: quia ſicut ibi prædicatum ſubiecti: ita hic ſubiectum prædicati cauſa exiſtit. Vnde non incommodè dixi ex Themiſtio, accidentia illa, in quorum definitionibus collocantur ſubiecta, &c. Nam omnia prædicata huiuſmodi, accidentia propria & eſſentialia ſunt: quæ eſſentiam ſiue formam ſubiecti conſequuntur: & idcirco definiri nequeunt: niſi mentio fiat ſubiecti in definitione.

Οἷον τὸ εὐθὺ ὑπάρχει γραμμῇ,

Quemadmodum lineæ ineſt rectum.

Sequentibus exemplis iam dicta probat, rectum ineſt lineæ & circum-

 ductum,

ductum, id est, rectum & circumductum definitur per lineam. Nam rectum est linea, cuius medium ab extremis non subsultat. Sic circumductum, τὸ περιφερὲς est magnitudo, quæ lineam incuruatam habet. Par & impar numero; idest de pari & impari dicitur subiectum, numerus. Numerum enim subiectũ esse Arithmetices quod plura accidentia complectitur, liquet. Est igitur par numerus in duo æqualia diuisibilis, impar numerus qui in duo inæqualia diuidi potest.

De his Euclides lib. 9.

Καὶ τὸ πρῶτον καὶ σύνθετον, & primum & compositum, supple, scilicet inest numero. Primus, est numerus quem sola vnitas metitur, vt duo: Compositus quem alius metitur numerus, vt quatuor & octo. Euclid: lib. 7.

Καὶ

Καὶ ἰσόπλευρον καὶ ἑτερόμηκες,
Et æquilaterum & altera parte
longius.

Hæc omnia ſimul intellige, numero tanquam ſubiecto ineſſe, & numerum de ijs prædicari.

Eſt enim ἰσόπλευρος numerus, qui conſtat ex eo numero, qui aliquoties repetitus, in ſeipſo reflectitur, vt nouem & ſedecim cum per vnitates deſcribantur, quadrangulum ἰσόπλευρον conſtituunt. ἑτερόμηκες vero qui ex eo conſtat numero, qui aliquoties repetitus, ipſe in ſe non reflectitur, vt 8. 10. 12. Quadrangulum, altera parte longius conficiunt. Sed ratio horum nominum à figuris Geometrarum deſumpta eſt, quas figuras ij numeri cum per vnitates deſcribantur, referunt ac repræſentant.

Καὶ πᾶσι τούτοις
Atq; his omnibus.

19. Praelectio. 24. Aprilis. *Id est, omnibus his affectionibus prædictis, in definiendo attribuuntur duo subiecta prædicta seu genera, linea nimirum & numerus, nam in definitione recti & curui, tanquam genus sumitur linea, & in definitione paris ac imparis numerus: sic in definitione Ecclipsis Luna, & in definitione risibilitatis homo, sic Philosophus definitur per suum subiectum, tanquam materiã in qua, videlicet homo, vnde dicis, Philosophus est homo studiosus sapientiæ. Sic Pastor per suam materiam in qua, seu subiectum, Pastor est homo seu persona in Ecclesia ordinata, vt doceat & administret Sacramenta. Sic consul est homo, ciuis nimirum reipublicæ & senatorum primus.*

In

In ſumma in primo modo καθ' αὑτὰ tam prædicata quàm ſubiecta in ſubſtantia ſunt & cæteris catagorijs: ſed in ſecundo modo, prædicata tantum accidentia: ſolis ſubiectis iam ad ſubſtantiam, iam ad cæteras categorias pertinentibus. Atq; vt genera in finitionibus differentiarum, ita in hoc modo ſubiecta in definitionibus propriorum inſunt: cum eſſe illorum ſit alicui ineſſe, vt ſimum ineſt naſo, claudum pedi, balbum linguæ, apoplexia cerebro, item eidem phreneſis, febris cordi: & omnia cætera συνδεδυασμένα, quibus cum ſubiecto certè definitur accidens. Nec eſt cur hoc loco tantopere quidam miretur Themiſtium & Philoponum, hunc ſenſum ex mente Ariſtotelis adferre, videlicet in ſecundo modo per ſe acci-

dentia

dentia dici, quorum in definitionibus ſubiecta ponantur, cùm & græcus textus hunc ſenſum oſtendat, tum antecedentia & conſequentia non repugnent: ac licet ἐνυπάρχειν commune eſſe poßit ſubiecti & attributi: tamen cùm prius illud ὑπάρχει ſubiecto accommodauerit, ac de ſubiecto ſaltem intelligi, non de definitione, oſtenderim in explicatione primi modi. Nunc voce ἐνυπαρχόντων, ipſa attributa comprehendi, ac de ijs ſubiectum prædicari manifeſtum euadit, opponitur enim tanquam ex conſequenti priori τῷ ὑπάρχει, &c. Deinde quòd idem affirmet, vt primum modum per ſe conuenire definitioni. Sic hunc modum conuenire diſtributioni, ac per eum genus in ſpecies ac differentias ſecari, ac proinde non eſſe definitionis. Vt autem hic intel-

ligamus

ligamus Aristotelem non loqui de distributionibus, sed de ijs quæ in subiectis insunt, & subiecta in ipsorum definitionibus accipi. Hic distinctio tenenda, videlicet quod propriorum duo sint genera, quorum quædam simpliciter de subiectis prædicantur, vt risibile de homine, & ecclipsis de luna. Quædam non simpliciter, sed duo simul iuncta opposité, constituunt vnū proprium, qualia sunt hæc omnia Aristotelis exempla. Non est proprium lineæ ἄρτιον, seorsum acceptum, neq; περιφερὲς seorsum acceptum, sed simul vtrumq; cum disiunctiua particula sumptum, constituit vnum proprium lineæ. Quia omnis linea, vel est recta vel curua. Neq; omnis numerus est par, neq; impar, sed omnis numerus, est par vel impar. Hæc itaq; propria accidentia cùm subie-

ctum

ctum conſtituant: ſubiectum viciſſim de iis in definitione prædicari, nemo ambigit, ac conſequenter Ariſtotelem hic de accidentium finitionibus agere, non de diſtributione generis in ſpecies vel differentias ſimul patet. Dixit Ariſtoteles de iis quæ dicuntur hoc ſecundo, modo καθ' αὑτὸ, *nunc autem agit de aliis, quæ ſuperioribus modis opponuntur.*

Ὅσα δὲ μηδετέρως ὑπάρχει, συμβεβηκότα,
Quæ vero neutro modo inſunt accidentia ſunt.

Antitheſis ſuperiorum, in qua affert modum dicendi per accidens, qui duobus per ſe iam declaratis ex aduerſo reſpondet. Prædicatum inhærens & iunctum ſubiecto, triplex tantum eſſe poteſt. Nam vel eſſentiam ſubiecti conſtituit, quod dicitur prædicatum eſſentiale, vt eſt genus

vel

vel differentia, vel ex ambobus conflata definitio: Vel accidens subiecti est, quod quidem est duplex, videlicet proprium & commune. Sed primum prædicatum inhærens, facit primum modum τοῦ λέγεσθαι καθ' αὑτό, in quo prædicatum est in definitione subiecti. Accidens autem proprium, facit secundum modum, in quo subiectum est de definitione, prædicati. Nam proprium accidens aliquam cum essentia affinitatem habet, quum eam insequatur. Verum accidens commune quum nullam habeat cum subiecti essentia affinitatem, non sumitur in eius definitione, nec in sua definitione illud accipit, ideoq; facit prædicationem per accidens, quæ duobus illis opponitur. Dicit autem μηδετέρως, *idest quæcunq; prædicata neutraliter insunt: hoc est, ita quòd*

neq;

neq; ponantur in definitionibus subiectorum, neq; subiecta in definitionibus eorum, illa sunt accidentia, id est per accidens prædicantur. Est igitur modus τοῦ ἐνυπάρχειν siue prædicandi per accidens: quando prædicatum subiecto non essentiale, essentiam scilicet vel constituens, vel necessariò consequens, sed accidentarium est, quod saluo subiecto & adesse & abesse potest, vt album animali, musicum homini: sic τὸ λευκὸν est homo, quod per accidens est, quia τῷ λευκῷ non inest homo, sed tantum est id quod substernitur albedini, quod etiam nigrum esse potest. Quæri hoc loco poterit, quomodo primis duobus modis, vnicum per accidens Philosophus opponat. Ad hoc dico: primos duos per se modos, vnicum reuera modum esse, qui illas propositiones ample-

amplectitur: quarum subiecta & prædicata, definitiuo nexu copulata sunt: qui tamen maioris perspicuitatis gratia in duos distinctus est, cum aliud sit prædicatum in definitione subiecti: aliud, hoc in illius definitione poni, ad quod innuendum, vnicus illis per accidens modus oppositus est.

Ἔτι ὁ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἄλλου τινὸς, οἷον τὸ βαδίζον, ἕτερόν τι ὂν, βαδίζον ἐστὶ, καὶ λευκόν. ἡ δὲ οὐσία, καὶ ὅσα τόδε τι σημαίνει, οὐχ ἕτερόν τι ὂν βαδίζον ἐστὶ καὶ λευκὸν ἡ δὲ οὐσία ὄντα, ἐστὶν ὅπερ ἐστι. τὰ μὲν δὴ μὴ καθ' ὑποκειμένου, καθ' αὑτὰ λέ-

Tum vero per se appello, quod non de illo alio dicitur subiecto, vt ambulare cum diuersum sit, ambulans est & album. Substantia vero & quæcunque hoc aliquid significant, nō aliud quiddam sunt quàm id quod sunt, Quæ igitur non subie- 20 Prælectio. 26. Aprilis.

γὰρ τὰ δὲ καθ' ὑποκειμένου, συμβεβηκότα. | cto. Hæc per se dico: quæ vero de subiecto accidētia.

Tertius modus καθ' αὑτό, *qui maximè singularum substantiarum proprius est. Definit autem hunc tertium modum ex priuatione* καθόλου *notionum. Nam cùm in hoc modo, intentio Philosophi sit, separare accidens à substantia. Et quum accidens non intelligatur aut definiatur alio modo, quàm priuatione* καθόλου *notionum, vnde & id omne apud Logicos accidere dicimus, quod neq; est genus rei, neq; differentia, neq; species, neq; proprium: ideo optimè hunc* ἐκ ἀφαιρέσεως *exponit. Est autem definitio talis, tertius modus est eorum, quæ non de subiecto dicuntur aliquo: vt sit sensus, id per se in tertio modo, quod potest esse sine altero vt sub-*

stantia

ſtantia prima & ſecunda, quæ, ipſæ rerum, & abſolutæ per ſe ſunt eſſentiæ, ab omnibus alijs ſecretæ. Hunc modum tertium, dixi ſuperius κατὰ σχέσιν eum proponere. Nam huius reſpectu, dicuntur accidere omnia illa, quæcunque aut alteri inſunt tantum, vt ſingula accidentia: vel prædicantur tantum de aliquo ſubiecto, vt quæ pertinent ad οὐσίαν ſubiecti. Sic τὸ βαδίζον ἕτερόν τι ὄν. Nam βαδίζον connotat ſubiectum, id eſt, illud ipſum quod ambulat, quod quidem per ſe longè aliud eſt, quàm ambulare, hoc enim ſubſtantia: illud vero accidens. Longè enim ſecus Petrus quatenus Petrus eſt, animo concipitur, & noſcitur, quàm dum ambulat aut albus eſt, cum hæc ſint aliud quiddam quàm ipſe Petrus, id eſt ipſa ſubſtantia, hominis indiuidui Petri, propterea

dixit ἕτερόν τι ὄν, *id est, ambulans ideo existit, quia alterum illud existit, nempe subiectum in quo est: & per quod est. Accidens enim concretum vt album & ambulans significat quidem accidens, sed connotat, etiam subiectum in quo est.*

Ἡ δὲ οὐσία.

Ἐπιμονὴ *superioris sententiæ,* οὐσία *substantia non est in subiecto, proinde non ideo existit, quia aliquid aliud existat, sed ipsa per se subsistit.*

Τό δέ τι σημαίνει.

Aristoteles non solum indiuiduam substantiam quæ τὸ δέ τι, *sed omnem substantiam, tam vniuersalem quàm singularem, vult esse* καθ' αὑτό. *Nam non esse in subiecto, non magis conuenit substantiæ primæ quàm secundæ, sed solum accidentia excludit. Verum quia tertius hic modus exis-*

tentiam

tentiam respicit, & singularia existunt. Ideo Aristo: solum indiuiduam substantiam nominauit, sed non propterea exclusit vniuersalem, quæ in substantia singulari insita est, & vna cum ea existit. Similiter quia hîc saltem nominauit accidentia concreta, non propterea colligi potest ipsum non exclusisse abstracta, quum hæc quoq; nullo modo sint per se, sed per accidens, vt Albedo.

τὰ μὲν δὲ μή.

Epilogus superiorum seu consectarium. Ergo cum ita sese habeat hic tertius modus, vt definitum est, sequitur quod quicquid nihil aliud, quàm id ipsum quod est ὃ δέ τι significet, esse καθ' αὑτὸ, in tertio modo, inquit Author, Socrates per se dicitur aliquid fecisse, id est, per hoc quod

ipſe erat homo. Quæ verò de ſubiecto dicuntur, illa ſunt per accidens. Sed dixeris iam, eſſe in ſubiecto, vt in Categorijs docetur, ſolius accidentis eſt, dici verò de ſubiecto accidenti cum ſubſtantia commune. Ergo cùm ſuperius, dixerit hunc modum ſolum conuenire tam ſecundæ quam primæ ſubſtantiæ, & excluſeris accidentia, iam autem quia commune erit tam ſubſtantiæ quàm accidenti, dici de ſubiecto, implicas contradictionem. Ad hoc reſpondet Ariſtoteles, vt ſignificaret ſe de ſolis ſubſtantijs in hoc modo loqui non ſimpliciter dixit, quod non de ſubiecto dicitur: ſed adiecit ἄλλου τινὸς alio aliquo: accidens autem de ſubiecto dicitur: ſed alio atq; diuerſo: ad cuius eſſentiam non pertinet: Subſtantia vero de ſubiecto non alio, ſed ſuo cuius eſſentiam conſtituit:

ſtituit: Vnde non eſt neceſſe vt καθ' ὑποκειμένου λέγεσθαι hic pro in ſubiecto eſſe cum Philopono eſſe dicamus.

Concluderem igitur hunc tertium modum, ac dicerem ſubſtantiam quæ non per aliud, ſed ſuapte virtute exiſtit, hoc tertio modo per ſe dici: ac licet vniuerſale extra animum nihil ſit; quia tamen ſuo quodam modo in ſingularibus eſſe dicitur: idcirco ab hoc modo non excludi ſubſtantiam ſecundam: niſi neceſſarium exiſtimarem, obuiam eundum cuidam, qui in ſuis ſcholis in hunc tertium modum traditis, primum Themiſtium carpit, propter explicationem ſuperioris modi: tum etiam hanc Commentatorum omnium interpretationem, vt alienam & falſam falſè ridet ac reiicit. Ad hoc vtrumq; reſpondebo, breuiter tamen, vbi ſententiam ipſius in medi-

um produxero. Inquit enim: quare Themiſtio fruſtra commentum illud ſecundi modi quæſitum eſt de accidentibus, cum ille ipſe Themiſtius inuenerit locum yſdem accidentibus, in quorum definitione ſubiecta adhibeantur; definitione inquam non abſoluta ex genere & differentia, ſed tamen quæ cauſam aliquam ex ſubiecto deducat, vnde affectio & paſsio, quæ definitur effluxerit. Ad hoc reſpondeo, ſi definitio accidentium non extruatur ex genere & differentia, quod arguere videris, ſed talis ſit, quæ cauſam aliquam ex ſubiecto deducat, non fruſtra commentum illud ſecundi modi Themiſtio quæſitum eſſe de accidentibus. Cùm huiuſmodi ſubiectum ſiue forma ſubiecti, prædicati accidentalis cauſa efficiens ſit interna & non externa: interna dico,

non

non quæ in effecto eſt, (ſic enim nullum internum efficiens datur) ſed quæ in eodem cum effecto, ſubiecto eſt, ſicut rationalitas cum riſibilitate in homine. Nam externa eſt quæ eſt extra effecti eſſentiam. Deinde ſi idem aduerſarius, aſſumpſerit efficientem, quemadmodum & materiam definitionem non conſtituere, quæ demonſtrationem efficiat, eò quòd non ſemper neceſſaria effecta pariat, ſed in rerum ortu plerumq́ fortuita. Ad hoc ſubijcio, verum eſſe aſſumtum ſi intelligatur de demonſtratione, quæ potiſſima demonſtratio dicitur: cui primus modus ἁπλῶς conuenit. Verum ſi ſimpliciter accipit de omni demonſtratione falſum eſt. Nam in demonſtratione quæ eſt τοῦ ὅτι, locum ſuum meretur, tam efficiens quam materia, quæ τοῦ ὅτι demonſtratio,

 cum

cum sit effectorum de suis causis, & ad secundum modum, omnes illæ propositiones reducantur, in quibus effecta prædicantur de sua causa: omnium rectissimè interpretatus est Themistius, hunc secundum modum de accidentium definitione ex subiectis, idq; ex intentione Aristotelis, qui secundum modum demonstrationi τῶ ὅτι, accommodauit. Deinde quod contra hunc tertium modū idem adduxerit, est de eius vsu in demonstratione. Inquit enim sic, de substantijs indiuiduis nulla mentio est (scilicet in doctrina demonstrationis) sed de apodicticis propositionibus, & earum copia & facultate caput erat institutum, quò substantiæ indiuiduæ nihil omnino pertinent. Ad hoc respondeo etsi Aristoteles non faciat mentionem substantiarum indiuiduarum in doctrina

ctrina demonstrationis, non tamen inde confici potest, eas simpliciter & absolutè & omninò (ut dicit) non pertinere ad apodicticas propositiones. Nam cùm δυνάμει secundarum, quæ essentiam primarum constituunt: tum etiam ἐπαγωγικῶς tales conficiant propositiones, non simpliciter excluduntur. Deinde quando nominauit substantiam indiuiduam, non exclusit vniuersalem, quæ in substantia singulari insita est, & vna cum ea existit, atq; præcipuum in apodicticis propositionibus sibi locum vendicat, cum neutra pars propositionis apodicticæ hanc νοήσιν καθολικὴν effugiat, sed perpetuò in ea contineatur idq; vel explicitè vel implicitè, non igitur omnino, inutilis est hic modus, sed profectò vtilissimus. Nam sicut in demonstratione requiritur, quòd

affectio

affectio seu paſsio per ſe & immediatè inſit ſubiecto: ita etiam exigitur, quod ſubiectum immediatè & per ſe gratia ſuipſius ſubſiſtet paſsioni: vnde cùm indiuiduis ſubſtantiæ, δυνάμει, *vniuerſales vero quæ ſub hoc comprehenduntur modo,* ἐνεργείᾳ *ita ſubſiſtant, concidit quod contra Philoſophum aſſumptum eſt, & vtiliſsimus erit hic tertius modus.*

QVARTVS MODVS.

21. Prælectio. 27. Aprilis.

Ἔτι δ' ἄλλον τρόπον, τὸ μὲν δι' αὑτὸ ὑπάρχον ἑκάστῳ, καθ' αὑτό, τὸ δὲ μὴ δι' αὑτὸ συμβεβηκός· οἷον εἰ βαδίζοντος ἤστραψεν, ἀλλὰ συνέβη φαμὲν τοῦτο. εἰ δὲ δι' αὑτὸ καθ' αὑτό· οἷον εἴ τις σφαττόμε-

AMplius etiam alio modo per ſe dicitur. Videlicet ꝙ propter ſe vnicuiq; : verum quod non propter ſe accidens ineſt: vt ſi ambulante aliquo fulgurauit, accidens eſt: non enim propter

νος

νος ἀπέθανε, καὶ κατὰ τὴν σφαγὴν, ὅτι διὰ τὸ σφάττεσθαι, ἀλλ᾽ οὐ συνέβη σφαττόμενον ἀποθανεῖν.	ambulationem fulgurauit, sed id accidit dicimus. Si vero propter se, per se inest: vt si quis iugulatus interijt, & per iugulationem: quoniam ideo perijt, quia iugulatus est, nõ autem accidit iugulatum interire.



Quartus & vltimus perseitatis modus, cui etiam vt duobus superioribus, opponitur modus per accidens. Vtrumq; autem modum ex opposita differentia δι᾽ αὑτὸ *explicat. Sed primus sic definitur* ἔτι δ᾽ ἄλλον τρόπον *id est, quarto modo dicitur esse per se, scilicet quidquid inest vnicuiq; propter hoc ipsum, id est, propter causam aßignatam in ipso: quasi dicat, cùm subiecto causa adiungitur, quare præ-*

dicatum

dicatum ei conueniat, est in quarto modo; vt interfectus interijt, pennatus volat, studiosus literatus euasit, Ægistus desidiosus adulter factus. In quibus omnibus & alijs similibus, manifestum est, quod in talibus subiectis, includatur causa prædicati, cum interfectum esse, sit causa interitus & pennatum volatus, atq; ita de alijs, in quibus omnibus proprius effectus de causa sua propria per se dicitur, vt mortuus de interfecto, volatus de pennato, &c. Sic etiam causa de effecto, vt præsciti vocãtur, vocati iustificantur, iustificati glorificantur. Vides igitur prædicationẽ καθ' ʽαυτὸ, quarto modo fieri, quando terminorum alter, alterius causa externa est, siue subiectum prædicati, siue prædicatum subiecti, cum enim neuter alteri re ipsa insit sed separati sint.

ſint. Hoc autem vtrumq; ex vno exemplo Ariſtotelis intelligere potes. Nam quòd alter terminorum, alterius cauſa ſit vides in hoc exemplo, homo iugulatus interijt, dummodo propter talem iugulationem interierit, id eſt δι' ἀυτὸ, deinde quod neuter alteri re ipſa inſit, ſed ſeparati ſint, ſimiliter deprehendis ex eodem Philoſophi exemplo. Quia interire ſeu mori non neceſſariò illud σφάζεσθαι id eſt iugulari inhæret, poteſt enim ſaucius ſeu iugulatus interijſſe, non propter illam σφαγὴν: ſed propter ſuperuenientem febrem aut peſtem, quod quando acciderit, non eſt καθ' ἁυτὸ ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς, at dum conſtituimus iugulationem fuiſſe cauſam mortis, non eſt per accidens inquit Ariſtoteles, quod iugulatus interierit ſed eſt καθ' ἁυτό. Nunc autem de modo huic oppoſito loquitur Philoſophus. Τὸ

Τὸ δὲ μὴ
Quod autem non.

Id eſt cum prædicatum de ſubiecto verum quidem eſt, ſed non propter ipſum, id eſt, δι' αὐτὸ, *prædicatio eſt per accidens: vt illo ambulante coruſcauit, neq; enim ambulatio eſt cauſa coruſcationis, neq; coruſcatio ambulationis: ſed hunc accidentalem reſpectum inuicem habent, quod eodem tempore contigerunt, non eſt igitur in hoc exemplo, prædicatio per ſe, quia neutrum alterius cauſa eſt. Sic hæc per accidens eſt, vt ſi paſtinando in Theſaurum quis offendat, non enim idcirco paſtinabat vt Theſaurum inueniret, ſed ita accidit, in ſumma, quando inter duo diſiuncta, non eſt hic eſſentialis reſpectus, vt alterum alterius cauſa ſit, adſit tamen reſpectus aliquis accidentalis,*
qui

qui veram alterius de altero prædicationem faciat, fit prædicatio per accidens, quæ ex oppoſito reſpondet huic quarto καθ' αὑτὸ *modo.*

Τὰ ἄρα λεγόμενα ἐπὶ τῶν ἁπλῶς ἐπιστητῶν καθ' αὑτὰ οὕτως, (ὡς) ἐνυπάρχειν τοῖς κατηγορουμένοις, ἢ ἐνυπάρχεσθαι δι' αὑτά τε ἐστὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης, οὐ γὰρ ἐνδέχεται μὴ ὑπάρχειν ἢ ἁπλῶς ἢ τὰ ἀντικείμενα. οἷον γραμμῇ τὸ εὐθὺ ἢ τὸ καμπύλον, καὶ ἀριθμῷ τὸ περιττὸν ἢ τὸ ἄρτιον, ἐστὶ γὰρ ἐναντίον ἡ στέρησις, ἢ ἀντίφασις ἐν τῷ αὐτῷ γένει, οἷ-

Itaq; in ijs rebus, quæ ſub certam ac perfectam ſcientiam cadunt omnia illa, quæ duobus illis prioribus modis, per ſe ineſſe dicuntur, aut quoniam inſunt in attributorum definitionibus ſubiecta, aut contra in ſubiectorum, attributa omnia in quam illa neceſſe eſt, cùm propter ſe ac vi ſua conuenire, tum vero neceſſario ijs ineſſe

ὂν ἄρτιον τὸ μὴ περιττόν, ἐν ἀριθμοῖς ἕπεται, ὥστ' εἰ ἀνάγκη φάναι ἢ ἀποφάναι, ἀνάγκη καὶ τὰ καθ' αὑτὰ ὑπάρχειν.

quibus attribuantur. Neq; enim potest aliter esse, quin aut ipsa (si nihil habent contrarium) conueniant aut in quibus contraria reperiuntur, ex ipsis alterum insit, vt lineæ necesse est aut rectum aut inflexum inesse, numero aut par, aut impar. Nam omne quod alteri aduersatur, est quasi alterius priuatio aut negatio, ad idem genus pertinens, vt par nihil est quàm quod in genere numerorum non est impar, necesse est, in omni re aut affirmationem aut negationem dici: illud profectò consequens est ea quæ per se insunt, necessario ijs conuenire quibus attribuuntur.

Regula.

Philosophus in hoc contextu, modos summam necessitatem in conclusione demonstrationis constituentes, ab ijs secernit, qui eandem minimè con-

mè conſtituere poſſunt: ac oſtendit cùm primum, tum ſecundum modum καθ' αὑτό, habere neceſſarium connexum prædicati cum ſubiecto. Deinde dubia quædam ſoluit, de quibuſdam prædicatis ſecundi modi, quæ non videntur, habere inhærentiæ neceſſitatem ac poſtea colligit omnia prædicta καθ' αὑτὸ tam primi quàm ſecundi modi, eſſe ſuis ſubiectis neceſſaria, atq; hæc eſt ſumma, ſed iam ſingulas partes textus examinabimus.

Τὰ ἄρα λεγόμενα
Itaq; in ijs rebus.

Concluſio principalis huius contextus hac propoſitione continetur, propoſitiones igitur primi & ſecundi modi illæ ſcilicet, quæ de rebus ſimpliciter ſcibilibus et æternis ſunt, propter ipſa ſunt & ex neceſſitate, ex hac conficiemus huiuſmodi enthymema.

22. Prælectio. 29. Aprilis.

Ea quæ prædicantur per ſe, vel primo vel ſecundo modo, non contingit non ineſſe ſubiectis ſuis. Ergo ex neceſsitate inſunt. Clara eſt hæc conſequentia, quia eſt quodammodo à definitione ad definitum.

Δι' αὑτά τέ ἐστι, καὶ ἐξ ἀνάγκης

Propter ſe ac vi ſua conuenire, tum vero neceſſariò.

Hoc additur ad differentiam quarti modi, cuius propoſitiones δι' αὐτὸ, *id eſt propter ipſum quoq; habent, ſed non ſunt neceſſariæ, vt primi & ſecundi. Qui duo modi non ſolum habent, nexum cauſæ cum effecto, vt quartus de quo nunc diximus: ſed habent etiam prædicationis neceſsitatem, quam ille non habet, quia cauſa externa cum ſuo effecto non reciprocatur niſi raro. Ne autem quartum modum cum primo vel ſecun-*

ſecundo confundamus, notandum eſt hoc loco, perpetuum inter hos modos diſcrimen. In quarto, prædicatum eſt diſiunctum à ſubiecto; Sed in primo & ſecundo, prædicatum eſt inhærens ſubiecto, & illi iunctum: idcirco ſi terminorum alter ſit de alterius definitione, quæ eſſentialis ſiue quidditatiua dicitur, prædicatio ad primum vel ſecundum modum pertinet: ſi vero ſit definitio cauſalis, & potiſsimum ſi cauſa illa fuerit externa (alias enim cauſalis eſt optimè eſſentialis) pertinet ad quartum modum, vt hæc propoſitio ecclipſis fit, quum terra interponitur, &c.

Ου γὰρ ἐνδέχεται μὴ ὑπάρχειν
Nec enim poteſt aliter eſſe.

Πρόλεψις *qua ſequentibus verbis, propoſitinem ſuperiorem probat: & ſimul tacitæ obiectioni contra ſecun-*

dum modum occurrit. Inquiet enim aliquis, primi modi prædicata, puta, in ſimpliciter ſcibilibus, ſubiectis neceſſariò ineſſe extra controuerſiam eſt. Verùm de ſecundi modi quibuſdam dubitatur. Numerus enim non neceſſariò impar, ſic linea non neceſſariò recta, neq; etiam neceſſariò arcuata: Vnde in controuerſiam cadit, vtrum accidentia quoq; ipſa, neceſſariò ſint, quæ in ſecundo modo, ſine ſubſtantia ſui ſubiecti, definiri non poſſunt, vt hoc fiat facilius, intellectuq; capiatur, Reſpondet Philoſophus diſtinguendo accidens proprium, quod duplicis generis eſt, ſimplicis nimirum & compoſiti: prioris generis accidentia, ſemper ineſſe dicuntur, nimirum quæ dictione, vna vel pluribus, rem vnam ſignificantibus proferuntur, cuiuſmodi ſunt omnia primi

modi

modi & aliqua secundi: vt homo est animal: homo est rationis particeps, homo est risibilis. Compositum verò, ex duobus contrarijs constat, hoc quoq;, si vtrumq; contrarium, quomodo sumendum est, simul sumatur: (vtrumq; enim simul constituit vnicũ πάθος,) necessariò inest. Sic omnis numerus ex necessitate est par vel impar, omnis linea vel est recta vel curua. Rectum & curuum, non prædicantur de linea simpliciter, sed simul vtraq; opposita cum disiunctione. Non enim simpliciter dicimus, omnis linea est recta, sed vel recta vel curua. Nam quum simpliciter accepta, non ex necessitate subiecto suo insint, saltem vtraq; opposita, simul sumpta constituunt vnum proprium, quod ex necessitate inest, omnis enim linea ex necessitate est recta vel curua.

Ἐστὶ γὰρ τὸ ἐναντίον
Nam si omne quod.

Quia res clara est de ijs, quæ simpliciter insunt, & de subiecto prædicantur: ijs omissis prædicationem subiungit, de reliquis, quæ prædicantur ἀντικειμένως *id est opposité, vbi alterutrum contrariorum necessariò inesse, probat ab oppositione priuatiua & contradictoria hoc modo: contrarium in eodem genere acceptum, idest in subiecto suo idoneo, locum habet priuationis imò & contradictionis respectu sui contrarij. Sed tum priuatiuè opposita, tum contradictoriè necesse est alterum duorum inesse. Ergo & hæc contraria, vnde necesse est alterum duorum in subiecto suo inesse. Necesse itaq́ omnem numerum vel esse parem vel imparem. Hoc pacto colligit omnia prædicata* καθ' αὑτὸ, *etiam*



am illa quæ cum oppositione prædicantur ex necessitate subiectis suis inesse.

DE VSV HVIVS SECVNDAE LEGIS.



Quia non saltem singulos modos, huius secundæ legis mediocri industria: sed etiam membra singula excussimus, restat vt nunc etiam aliquid de vsu huius legis, dicamus. Est itaq; vsus legis hic præcipuus, qui nimirum mentem tuam gubernat, vt in apodictica doctrina, quid, cuiq; propositioni tribuendum, & quid alienum & dissentaneum sit, rectius & propius cognoscere possis. Quod quidem vt citra errorem & hallucinationem deprehendas, tenendum erit hoc loco quid sint propositiones propriæ. Propriæ enim sunt, principia, quæ non rectè in alijs, alijsq; scientijs

vſurpantur, ſed in vna duntaxat.
Quid sit vna scientia [illegible]
Vnam ſcientiam ſecundum Ariſtote-
l'm voco, quæ in vno genere verſa-
tur, in eoq́ eaſdem tractat partes, eaſ-
demq́ affectiones, per ſe, iiſdem pri-
mis principiis demonſtrat. Sic iuxta
Ariſtotelem, numeri in Arithmetica
tantum docendi ſunt, eorumq́ genera,
differentiæ, ſpecies, proprietates. In
Geometria magnitudines tantum, ea-
rumq́ genera, differentiæ, ſpecies,
proprietates. Nam Geometria &
Arithmetica, illa quidem in cohæren-
te, hæc vero in deiuncta quantitate:
quæ quidem principia ita diuerſa ad
demonſtrandas ſuas affectiones affe-
runt, vt neutra alteri quicquam lar-
giatur. Scientiæ enim ſunt aliæ atq́
aliæ. Sic Phyſica quidē & Medicina
vna eſt ſcientia, Ethica item & iuriſ-
prudētia, Phyſica vero et Ethica, Me-
dicina

dicina & iurisprudentia diuersæ, vnde in ἀποδείξει Physica, si vel subiectũ vel πάθος aut principiũ deduxeris ex Ethica, hallucinaris & contra legem secundam infringis: tribuis enim Physicæ, quod non est Physicum & ἑτερογένεια permisces. Quare si quos vel scriptis, vel disputationibus contra hoc præceptum, peccare adimaduertas, ijs fidem minimè tribuere debes. Nam in demonstrando de genere in genus, aut de scientia in scientiam transeunt. Interim tamen discant hic Adolescentes, scientias nonnullas, ita esse inter se affectas, vt vna alteram contineat, velut Geometria continet opticam, Stereometria Mechanicam, Physica Medicinam, Ethica iurisprudentiam, has ὑπαλλήλους ἐπιστήμας græci vocant. Nam, quum optica versetur in lineis, in ex-

treni-

tremitatibus, in figuris, & id genus alijs, quæ à materiei concretione liberæ non sunt: verum in aliqua re subiecta inhærent, velut in ære aut in ligno: Geometra in ijsdem versetur quidem, sed quæ materiæ coniunctionem nullam obtinent, patet materiam opticæ, sub Geometriæ materiam subiectam esse. Idq; eodem modo habet in Stereometria & Mechanica, in Physica & Medicina, in Ethica & iurisprudentia. Ac in Physica & Medicina idē clarißimè cerni potest. Illius enim materia est ens naturale mobile, vt loquuntur: huius corpus humanum. Est autem corpus humanum sub ens naturale mobile subiectū. Atq; hoc vnum genus est τῶν ὑπαλλήλων ἐπιστημῶν, quæ nimirum & totæ totas continent, & totæ à totis continentur, sed aliud quoq; etiam genus

est,

eſt, quod tantum ex parte aliqua ὑπάλληλων eſſe inuenitur, veluti Geometria aut Aſtrologia, & ea medicæ artis pars, quæ rotunda vulnera aut criſes conſiderat, quomodo etiam Poëtica ſub Grammaticam ea ex parte, quæ ſyllabarum quantitatem examinat, ſubiecta eſt. In his ſcientijs hoc modo inter ſe affectis, licet de ea, quæ continet, ad eam diuertere, quæ continetur, quanquam id viciſſim non commeat retrorſum, vt licet medico, de rotundorum vulnerum curatione ratiocinanti, Principia à Geometra mutuari, de Criſibus ab Aſtrologo, ſed ſi vel Geometra vel Aſtrologus, à Medico principia vtenda acceperit, reprehenderetur. Eodem modo ſi ex Theologia propoſitiones, ad cuiuſcunq; generis problemata confirmanda ſumantur, nihil peccetur. Nam ei omnes

NB

Theologi[a] Regina om[nium] artium et s[cientiarum]

nes

nes artes atq; ſcientiæ, ipſo quoq; teſtante Ariſtotele, tanquã dominæ atq; reginæ cuidam ſubiectæ ſunt. Verùm, ſi quis ex alijs artibus, conetur Theologicas quæſtiones, conficere, toto cœlo (quod dicitur) erret. Nunquid enim ita inter ſe ſuperiora & inferiora affecta ſunt, vt inferiora quidem à ſuperioribus dependeant, non autem ſuperiora ab inferioribus? NB Generi certè non opus eſt ſpecie, verum ſpecies ſine genere perit. Quocirca quum ſcientiæ, quæ continent alias, velut genera affecta ſint aduerſus eas, quas continent: quæ vero continentur, velut ſpecies, manifeſtũ eſt, poſſe has ab illis aliquid petere, illis ab his nequaquam, atq; hæc de vſu ſatis multa, in quo perſpicimus in apodictica ἐπιστήμη, quæ varijs ſcientijs & artibus quæ eius ſunt capaces, fa-

mulatur

mulatur, heterogenea ab homogenijs, & homogenea ab heterogenijs in propositionibus & conclusionibus segreganda atq; separanda.

TERTIA LEX.

Τὸ μὲν οὖν κατὰ παντὸς, καὶ καθ' αὑτοῦ, διορίσθω τὸν τρόπον τοῦτον.

Atque hæc de iis, quæ de omni & per se dicũtur, definita sint hoc modo.

Ἐπίλογος μεταβατικός.

Quo Philosophus breuiter repetit more suo, ea de quibus egerat & tertiam adhuc conditionem restare indicat explicandam.

Καθόλου δὲ λέγω, ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ καὶ καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὑτό. φανε-

Nunc de vni- 23. Præ-
uersali aga- lectio.
mus. Vniuersale 30. A-
autem appello quod prilis.
omni inest, & per

ρὸν

ρὸν ἄρα ὅτι ὅσα, καθόλου, ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει τοῖς πράγμασι. τὸ καθ' αὑτὸ δὲ καὶ ᾗ αὐτὸ, ταὐτὸν, οἷον καθ' αὑτὸ τῇ γραμμῇ ὑπάρχει στιγμὴ, καὶ τὸ εὐθύ. καὶ ᾗ γραμμή. Καὶ τῷ τριγώνῳ. ᾗ τρίγωνον, δύο ὀρθαὶ, καὶ γὰρ καθ' αὑτὸ τὸ τρίγωνον δύο ὀρθαῖς ἴσον. τὸ καθόλου δὲ ὑπάρχει τότε ὅταν ἐπὶ τοῦ τυχόντος καὶ πρώτου δείκνυται. οἷον τὸ δύο ὀρθὰς ἔχειν, οὔτε τῷ σχήματι ἐστὶ καθόλου (καίτοι ἔστι δεῖξαι, κατὰ σχήματος, ὅτι δύο

se conuenit & hoc ipso, quod res talis est. Ex quo perspicuum est, quòd illa quæ sunt vniuersalia, necessariò conueniunt ijs quibus attribuuntur. Per se autē & quatenus ipsum, idem sunt, vt per se inest lineæ punctū, & rectū esse, quia inest qua linea est, & triangulo hoc ipso vel qua est triangulum conuenit habere tres angulos, pares duobus rectis, sed & per se triangulo illud ipsum conuenit. At vero vniuersale tūc inest, cum de quouis & primo de-

ὀρθὰς

ὀρθὰς ἔχει· ἀλλ᾽ οὐ τοῦ τυχόντος σχήματος) οὐδὲ χρῆται τῷ τυχόντι σχήματι ὁ δεικνύς. τὸ γὰρ πετράγωνον, σχῆμα μὲν, οὐκ ἔχει δὲ δύο ὀρθαῖς ἴσας. τὸ δὲ ἰσοσκελὲς ἔχει μὲν τὸ τυχὸν δύο ὀρθαῖς ἴσας, ἀλλ᾽ οὐ πρῶτον, ἀλλὰ τὸ τρίγωνον πρότερον. ὃ τοίνυν τὸ τυχὸν πρῶτον δείκνυται δύο ὀρθὰς ἔχον, ἢ ὁτιοῦν ἄλλο, τούτῳ πρώτῳ ὑπάρχει καθόλου. καὶ ἡ ἀπόδειξις, καθ᾽ αὑτὸ τούτου καθόλου ἐστί. τῶν δὲ ἄλλων τρόπον τινὰ οὐ καθ᾽ αὑτὸ· οὐδὲ τὸ ἰσοσ-

monſtratur, exempli gratia, duos rectos habere nec figuræ ineſt vniuerſaliter (Quanquã licet de figura demonſtrare, quod duos rectos habeat, ſed non de quauis figura, nec vtitur quauis figura is qui demonſtrat. Iam quadratũ eſt quidem figura, nõ tamen habet angulos æquales duobus rectis. Quodlibet vero Iſoſcheles habet angulos æquales duobus rectis. Sed non primũ cùm triangulũ prius id habeat. Quod igitur omne & primum oſten-

κελοῖς οὐκ ἔστι καθόλου ἀλλ' ἐπὶ πλέον.

ditur duos augulos rectos, aut quodvis aliud habere, huic primo inest vniuersaliter: ac demonstratio per se, est huius vniuersalis: aliorum autem, modo quodam, non per se neque Isoscheles est vniuersaliter, sed latius patet quàm Isoscheles.

Tertia ac vltima huius capitis pars, in qua Philosophus agit de conditione eorum, quæ ingrediuntur demonstrationem, quæ est περὶ καθόλου. *In hac autem vltima parte, duo docet Philosophus, vnum quid sit* καθόλου, *quo explicato, duo infert consectaria: alterum quæ conclusio siue demonstratio sit necessaria & quid impedit quo minus aliquid, sit* καθόλου *tum quomodo demonstrator vtitur propositionibus quæ sunt* τῶν καθόλου. *Quod ad primum, quia vocabulum* καθόλου *est* πολύσημον, *priusquam ipsum* τί ἐστι *ex-*

plico

plico, σημασίαν vocabuli distinguam, & quomodo idem apud Aristotelem vsurpetur, significabo. Sciendum igitur τὸ καθόλου trifariam apud Philosophum vsurpari: Vno modo, pro re vniuersali & multis communi, qualiter accipitur apud Porphirium & apud Philosophum. 1. Topicorum. 2. Pro propositione, cuius subiectum est vniuersaliter distributum per signum vniuersale, vt omnis homo est animal: quomodo accipitur in libro περὶ ἑρμηνείας & in analyticis prioribus. 3. Pro vniuersali posterioristico, prout innuat adæquationem prædicati cum subiecto & econtra, ita nimirum vt prædicatum non excedat subiectum, nec subiectum prædicatum: atque hæc sunt significata præcipua τοῦ καθόλου, quod ita apud Philosophum definitur. καθόλου δὲ λέγω ὃ ἂν κατὰ, &c.

K 2 Hoc

Hoc est, id prædicatum vniuersale voco, quod inest subiecto pro quolibet subiecti supposito & pro quolibet tempore, & per se inest, sed quò ad id, in quo inest constat. Hæc definitio bona est, quia conditiones bonæ definitionis ipsi conueniunt. Nam τὸ καθόλου vt hîc sumitur, est quædam vniuersalis adæquatio, τοῦ πάθους ad subiectum & è conuerso. Sed nunquam est huiusmodi adæquatio, nisi sit κατὰ παντὸς καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτὸ, quæ tria constituunt καθόλου. Quocirca tres huius tertiæ legis conditiones, Philosophus ponit: vt nimirum prædicatum sit κατὰ παντὸς καθ' αὑτοῦ καὶ ᾗ αὐτοῦ, de primis duobus gradibus dictũ est: sed ᾗ αὐτοῦ id est quatenus ipsum quomodo prædicatum sit, insuper etiãquomodo subiecto insit, aperit Philosophus: ᾗ αὐτὸ seu καθόλου est quando

prædica-

prædicatum primo ſuo ſubiecto ineſt, & extra quod non reperitur, quippè quod reliquis omnibus, propter primum illud ſubiectum ineſt, καθόλου autem dicitur: ideſt vniuerſale, quia vniuerſale prædicatum eſt, quod vniuerſum in eo ſubiecto eſt & extra illud non reperitur, vt riſibilitatis vniuerſus ambitus in homine incluſus eſt, nec datur riſibile extra hominem: ideoq; riſibile eſt homini prædicatum vniuerſale: ſic etiam vniuerſum ſenſibile in animali incluſum eſt, ſed non vniuerſum in homine, quia datur ſenſibile extra hominem, at non extra animal, vnde ſenſibile, eſt animali prædicatum vniuerſale, non tamen homini. Sunt ergo hæ καθόλου, homo quà vel quia homo, riſibilis eſt: animal quatenus animal ſenſibile: triangulum quà triangulum, duos re-

ctos habet, &c. Animaduertis itaq; in hac lege, hanc conditionem efflagitari, vt nimirum καθόλου semper significet, secundum propriam subiecti naturam cum reduplicatione, risibile namq; inest homini quatenus est homo, quia secundum hominis propriam naturam est. At sensus inest quidem homini omni, non tamen quatenus est homo, sed quatenus est animal, quia secundum animalis naturam, quæ est in homine, non secundum propriam hominis naturam in homine inest, quo fit vt hæc conditio, nõ sit sine terminorũ paritate, primitate & reciprocatione. Nam quãdo prædicatũ non est adæquatum, & reciprocum suo subiecto, tunc non est καθόλου: veluti quando prædicatum inuenitur extra subiectũ, vt cum dicitur homo est animal. Hoc enim prædicatum animal reperitur

extra

extra hominem in boue, Aſino, Leo-
ne, non igitur eſt καθόλȣ. Sic, ani-
mal eſt riſibile, ibi ſubiectum inueni-
tur extra prædicatum, riſibile enim
de animali dicitur, ſed non de omni
animali. Prædicatur quoq́ de Paulo
& Platone, ſed non πρώτῳ primo &
ᾗ αὐτὸ ſecundum quod ipſum. Primo
enim homo eſt riſibilis, quàm Plato,
& riſibile conuenit homini ſecundum
quòd homo, & Platoni ſecundum
quòd homo. Vnde vides riſibile non
eſſe prædicatum animalis: nec Pla-
tonis πρώτῳ, ſed hominis. De homi-
ne enim omni dicitur & per ſe &
primo. Etiam in hoc exemplo, præ-
dicatum reperitur extra ſubiectum,
vt Iſoſcheles habet tres angulos æ-
quales, duobus rectis, quia hoc prædi-
catum videlicet habere tres angulos,
&c. Reperitur etiam in Iſopleuro.

Atqui ſi dicatur, figura habet tres angulos æquales, duobus rectis, neq; hoc eſt καθόλου, figura enim circularis nullum habet angulum, ex quibus colligimus καθόλου eſſe, quando prædicatum non excedit ſubiectum: nec ſubiectum prædicatum, vt cum dicitur homo eſt riſibilis, non enim reperitur homo qui non ſit riſibilis: nec riſibile quod non ſit homo. Si deniq; adhuc alicui obſcurum videtur ᾗ αὐτὸ & πρώτων, id eſt quatenus ipſum & primo, clarius adhuc vtrumq; expediemus ᾗ αὐτὸ id eſt quatenus ipſum, vel quo ad id ipſum, ſeu ſecundũ quod ipſum, dicitur reſpectu ſubiecti, ad quod τοῦ κατηγορουμένου, σχέσιν perpetuam habet. Ideo enim dicitur ᾗ αὐτοῦ. Quia niſi conſtaret id, in quo attributum ineſſe perhibetur, attribulum nullum foret. Sic autem propriæ rerum facultates

cultates

cultates ac functiones in rebus, quarũ propriæ sunt, sic definitiones in ijs insunt, quæ definiendo explicantur. Ut vis latrandi in cane, hinniendi verò in equo. Nisi enim canis foret, latrandi facultas nusquam extaret & nisi extaret equus, hinniendi vis nusquam appareret, quæ ratio locum habet in cæteris. Habes igitur quid sit ἡ αὐτὸ, πρῶτον autem quid sit, postea explicat author, quibusdam corrolarijs interiectis.

φάνερον ἄρα ὅτι ὅσα
Ex quo perspicuum est.

I. Consectarium. Quo, ex condi- 24. Præ-
tionibus facientibus in propositioni- lectio.
bus maximam necessitatem, infert 2. Maij.
prædicata vniuersalia, necessaria esse subiectis rebus, id est summè necessaria. Plures enim sunt gradus neces-

sitatis, & aliud est magis necessarium aliud minus. Est enim necessaria πρότασις κατὰ παντὸς, *& adhuc magis necessaria* καθ' αὑτὸ *sed maximè omnium* καθόλου πρῶτον, *necessaria. Nam sine hac, reliquæ cum necessitate, mixtam contingentiam habent, proinde non est in ijs summa necessitas, sine prædicatione vniuersali. Propositio hæc, homo est animal* κατὰ παντὸς *est &* καθ' αὑτὸ, *primo modo, sed non est* καθόλου, *id est vniuersalis, ideo nec summè necessaria. Est enim necessarium quidem animal homini: sed homo est animali contingens, quum sine homine animal esse possit. Quare hæc tertia conditio (siue vt Ramus vocat) tertia lex reliquis duabus superioribus adiecta, omnem contingentiam expurgat terminosq; omnes excludit, qui non reciprocentur, & solos reciproca-*

Tertia lex omnem tollit ambiguitatem.

proca-

procabiles admittit. Dicit ergo Philoſophus, quòd ſi hoc eſt καθόλου, *quod iam determinatũ eſt, ſcilicet quod eſt* κατὰ παντὸς καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτὸ *ſequitur prædicatum in propoſitione* καθόλου *ex neceſſitate ſubiecto ineſſe. Sequela patet, quia* κατηγορούμενον καθόλου *debet ineſſe per ſe et* κατὰ παντός. *Vnde ſi* κατηγορούμενον καθόλου *eſt* κατὰ παντὸς & καθ' αὑτὸ *igitur ex neceſſitate ineſt, quia* κατὰ παντὸς *requirit neceſſitatem temporum & ſuppoſitorum.*

Τὸ καθ' αὑτὸ δὲ καὶ ᾗ αὐτὸ ταὐτόν.
Per ſe autem & qua ipſum idem ſunt.

Secundum Conſectarium, καθόλου καὶ καθ' αὑτὸ *ſunt idem ſubiecto, licet differant ſecundum rationem: vnde ſi prædicatum ineſt ſubiecto ſecundum quod ipſum, ineſt quoq;* καθ' αὑτό. *Sed quæri hoc loco non ineptè poterit,*

quomodo

quomodo Philosophus dicat καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὑτὸ idem esse, cùm superius in descriptione τοῦ καθόλου, quatenus ipsum, rem quandam præter perseitatem statuerit? Ad hoc respondeo καθ' αὑτὸ bifariam accipi: largè videlicet & strictè, siue communiter & propriè: Propriè & strictè καθ' αὑτὸ illud est: quod nihil planè admixtum contingentiæ habet: communiter vero, quod aliquid admixtum habet. Sic ista, homo rationalis est risibilis, summè per se est, summeq; necessaria, quia necessitas ab vtraq; parte summa est. Nam sicut prædicatum subiecto: ita hoc illi necessarium est. Ista vero, homo animal est, aliquid admixtum contingentiæ habet: quo fit: vt non summè per se & necessaria sit, prædicatum equidem, subiecto necessarium est: cùm

homo

homo non poßit non esse animal: subiectum vero et species generi siue prædicato contingens, quum animal sit etiam quod non est homo. Differt igitur à καθόλου, καθ᾽ αὑτὸ *communiter acceptum: non differt propriè acceptum. Nam propriè & strictè acceptum* καθ᾽ αὑτὸ, *idem prorsus est & idem significat quod quatenus ipsum, insuper* καθ᾽ αὑτὸ & καθόλου *idē sunt, sicut genus & species in eodem idem sunt, tamen secundum quod ipsum, supra* καθ᾽ αὑτὸ *aliquid addit, sicut species supra genus. Nam* ᾗ αὑτὸ *reduplicat causam inhærentiæ prædicati ad subiectum: scilicet causam adæquatam & conuertibilem.*

Τὸ καθόλου δ᾽ ὑπάρχει
Ad verò vniuersale.

Hæc est posterior pars huius gradus,

dus, qua Philosophus docet, quando demonstratio καθόλου fit. Adfert autem hic aliam descriptionem prædicati vniuersalis seu potius non alteram: sed eandem alijs verbis clarioribus significatam, vt conditionem hanc de conclusione optimè intelligamus, quæ καθόλου siue summè per se esse debet, quod postea etiam de propositionibus manifestè concludit, sed descriptio talis est, καθόλου in conclusione tunc est, quando de illo subiecto monstratur, cui omni & primo inest. Ex hac descriptione colligimus quid sit πρῶτον ὑπάρχειν, id est primò inesse. Sed prædicatum tunc alicui subiecto, primo inest, quando nullum est interpositum subiectum medium; cui priori insit. Vt risibile homini primo inest, sensus autem non primo, quia animali priori & per animal homini, proindè homi-

ni non

ni non quatenus est homo, sed quatenus est animal. Bestia etiam, per se quidem & equo & cani conuenit, sed non πρώτῳ *id est primò. Quippe licet & in vtroq; omni, & per se insit: veruntamen in neutro inest, quò ad id in quo inest constat. Tolle enim cùm equum tum canem è medio, an non multæ aliæ quadrupedes, vt reliquas feras cicuresq; animantes cōticeamus, occurrent. Hinc fiet vt non possit aliquod prædicatum alicui inesse vt subiecto primo, nisi ei æquale sit. Nam* καθόλου *id est vniuersale vt hic sumitur dicitur prædicatum adæquatum subiecto: vnde oportet quod tali subiecto insit, de omni & per se & secundū quod ipsum, nam habere tres angulos æquales, &c. est prædicatum vniue. sale & adæquatum suo subiecto triangulo, & triangulum est pri-*

mum

mum ſubiectum eius quod eſt habere tres, &c. At non figura, quia prius quiddam, nec Iſoſcheles quia poſterius, cum ſit ſpecies trianguli. Cæterùm ſi eadem eſſet ratio trianguli in communi & cuiuslibet ſpecierum eius ſeorſum acceptæ, vel omnium ſimul ſumptarũ, tunc vniuerſaliter & ſimpliciter ſciret aliquis de triangulo, quod habet tres, &c. Nimirum quando hoc intelligeret de aliqua eius ſpecie, vel omnibus ſimiliter ſumptis. At habere duobus rectis pares, primò adeſt triangulo, & omni quidem triangulo per ſe ac ſecundum eſſentiam, hæc affectio πρώτῳ adeſt. Sed hoc idem, ſcilicet habere duobus rectis æquales, non eſt καθόλου ἐν σχήματι καὶ ἰσοσκελεῖ, quia omni figuræ non adeſt. Nam quadrangulo non adeſt: nec etiam ineſt ſoli Iſoſcheli, quia etiam

conuenit

conuenit Iſopleuro, quamuis his non conuenit vt primis: ſed per ſe & adæquatè & primò conuenit triangulo, quia conuertitur cum illo & per demonſtrationem vniuerſalem demonſtratur de ipſo. De figura quidem & Iſoſcheli poteſt quidem demonſtrari, ſed nō per demonſtrationē vniuerſalē, ſed particularem tantū. Is modus eſt internoſcendi cōmunia ſubiecta, à primis prædicatorū propriorum ſubiectis. Deinde ſunt alia, quæ participant illud primum πάθους ſubiectū, vt ſcalenus ſpecie trianguli. Hæc ſic comparata ſunt, vt de ipſis πάτος monſtrari poßit: verum non de ipſis primò, ſed de illo primo, quod ipſa participant, vt de triangulo quod participat ſcalenus. Ex multis igitur, quodcunq; primum fuerit, cui tanquam primo conueniat tres habere duobus re-

ctis æquales, id nimirum καθόλου subiectum erit, & de eo, hoc modo demonstratio & scientia habebitur. Sic in vniuersa rerum natura superiore & inferiore, permulta sunt quæ alicui πρώτως insunt, & per illud alijs, quæ idem participare πῆ possunt: verùm ita vt alia illa, non sint realiter isti subiecto coniuncta, quomodo omnes perfectiones, virtutes, & potestates Deo opt. Max: πρώτως realiter & formaliter insunt, participatiuè verò creaturis, sed ita tamen vt natura diuina realiter aut formaliter in ipsis non habeatur neq; reperiri possit. Huius rei non opus est exemplis pluribus, cum omnis scientiæ quæstio in eo versetur, quid nam cui πρῶτον insit, & propter quam causam. Debent igitur studiosi, ex ijs artibus & disciplinis in quibus versantur pro-

ponere

*ponere sibi exempla, & sese assuefa-
cere ad contemplationem* καθόλου, *vt in-
telligant cui aliquid* πρῶτον *insit, ne
per accidens subiectum demonstran-
dæ rei adhibeant, quod omnium pri-
mum est. Nam magna cognitionis
rerum omnium est confusio, propter
subiectorum & accidentium indis-
cretam vnitatem. Id quod non sal-
tem in Theologia, sed alijs omnibus
facultatibus ac professionibus depre-
hendere ac videre licet.*

οὐ ἀλλ' τοῦ τυχόντος σχήματος

Sed non de quauis figura.

*Obserua hoc loco quod Philoso-
phus* τὸ τυχὸν *vocat: quod prius* κατὰ
παντὸς *vocauit, docetq́; ad conclusio-
nem vniuersalē posterioristicè, vti hic
accipitur, non satis esse: vt affectio
toti subiecto insit: verumetiam vt in
fine huius capitis loquitur,* μὴ τὴν ἐπὶ

 πλέον,

πλέον, id est ne latius subiecto pateat: sed subiecto æquale sit: quod fit, cùm de primo subiecto, propter quod cæteris omnibus inest, vt iam dixi, quibuscunq; inest, demonstratur.

ὃ τοίνυν τὸ τυχὸν πρῶτον.

Antithesis posterioris partis, qua innuit quando aliquid impeditur, quo minus καθόλου, esse possit, videlicet, quando passio non de primo subiecto, l illius speciei, veluti duo recti de 'eno, tretur, tum demonstra- vera no. st, quia ista passio non 'o, sed triangulo & per se & inest. Ex illis luce meridia- n us apparet: sententiam Philosophi esse: demonstratione, accidens proprium de primo suo subiecto demonstrari: ideoq; illis tantum prædicationibus vt rectissimè commenta-

tor

tor obseruauit in demonstrationi[...]
locum esse: quæ summè per se [...]
καθόλου.

Καὶ ἡ ἀπόδειξις καθ' αὑτὸ [...]
Ac demonstratio per se.

Conclusio tertiæ partis [...]
pitis, qua quomodo demon[...]
debeat illis vniuersalibus, [...]
conueniunt suis subiectis a[...]
sistit autē vsus in eo, vt in[...]
quàm angustè Aristoteles [...]
tiuas propositiones contr[...]
vult nisi ex reciprocabil[...]
bilibus verbis (hæc e[...]
καθόλου *alia in alijs, ta[...]*
eas conflari: cuiusmodi s[...]
cum generalibus, proprium [...]
definitio ac definitum, partitio [...]
quod partitione explicatur. Vna[...]
videre licet, generalium, definitio[...]
num, partitionumq́; axiomata catho-

 lica

lica esse debere & vt rectè Ramus colligit, omneis propositiones ἀποδείξεως, quæ per definitionem, propri-um affectionem demonstrant, huius tertiæ conditionis esse ac verè catho-licas.

Explicaui qua potui diligentia, hac temporis angustia, charissimi res, has tres dulcissimas & vtilis-simas Aristotelis leges, hanc maximè causam, quòd in vestris animis, minus modestiam & humilitatē, eruditam doctrinam indies pau-agere percupiam, ne vi-manem ostentationem eru-neuè argutijs quibusdam, ea diuinitus à nunquam satis lauda-bili antiquitate vobis tradita sunt, iudicij semina, ista vestra ætate corrumpantur. Nam iudicij sanè magna est penuria hac tempestate in iuuentu-

iuuentute, quod quidem magna ex parte à superbia Proficisci, iure quispiam poßit existimare. Sed sinceri iudicij largitor (vt cæterorum bonorum) est Iehoua omnipotens. Quod vt vos impetretis in vera animorum demißione, apud Deum omnipotentem contendere oportet. Fructum autem ex his paucis prælectionibus percipietis non mediocrem, si quæ audiuistis diligenter memoriæ insculpetis, & de quibus dubitatis, magna adhibita modestia, viros doctißimos præceptores vestros aßiduè interrogetis, quos suis consilijs vestras cogitationes gubernaturos, pro sua in vos charitate, et pro amore quo affecti sunt, erga communem hanc nostrã patriam optimè Confido.

Μόνῳ Θεῷ δόξα.